ANTIDOTARIUM

COLLEGII MEDICORUM

BONONIENSIS

EDITUM

ANNO MDCCLXX.



BONONIÆ

Apud Lælium a Vulpe Inſtituti Scientiarum Typographum.

Superiorum permiſſu.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

SENATVI · BONONIENSI

LIBERALIVM · STVDIORVM

PATRONO

PVBLICAE · SALVTIS · AC · FELICITATIS

CVSTODI · ET · PRAESIDI

VIGILANTISSIMO

CODICEM · REI · MEDICAMENTARIAE

NOVISSIME · REFECTVM

ANIMO · LIBENTI · ET · GRATO

BENEFICIORVM · MEMOR

D · D

COLLEGIVM · MEDICORVM

In Dei Nomine. Amen.

Die 17 *Aprilis* 1771.

Convocato, de Ordine & Mandato Illustrissimi & Excellentissimi Domini Petri Jacobi Aldrovandi moderni Prioris, Collegio Medicinæ duodecim Numerariis ex lege principaliter composito, & duobus Honorariis nunc aucto, & in præsentia Illustrissimorum & Excellentissimorum Patrum Numerariorum, decem numero, legitime congregatorum, facta per Dominos Assumptos relatione super nova impressione Antidotarii Bononiensis, jam alias de Anno 1750 confecti, & Typis impressi, omnes & singuli viva voce Antidotarium prædictum de novo Typis impressum, & auctum publicari decreverunt, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur: omni &c.

No-

Nomina autem Collegiatorum tam Numerariorum, quam Honorariorum ſunt infraſcripta, videlicet:

Illuſtriſs. & Rev. D. Marcus Antonius Laurenti *dudum SS. Memoriæ Benedicti XIV. Archiater Ordinarius, & Camerarius Secretus.*

Illuſtriſs. & Exc. D. Joſeph Antonius Pozzi.

Illuſtriſs. & Exc. D. Joſeph Ferdinandus Gulielmini.

Illuſtriſs. & Exc. D. Paulus Baptiſta Balbi.

Illuſtriſs. & Exc. D. Paulus Bonazzoli.

Illuſtriſs. & Exc. D. Cajet. Laurentius Monti.

Illuſtriſs. & Exc. D. Jo: Antonius Galli.

Illuſtriſs. & Exc. D. Vincentius Pozzi.

Illuſtriſs. & Exc. D. Benedictus Donelli.

Illuſtriſs. & Exc. D. Ferdinandus Marcheſini.

Illuſtriſs. & Exc. D. Petrus Jac. Aldrovandi.

Illuſtriſs. & Exc. D. Alexander Bonzi.

Ho-

Honorarii.

Illuſtriſs. & Exc. D. Dominicus Guſmanus Galeazzi.

Illuſtriſs. & Exc. D. Jacobus Carolus Piſtorini *Archiater Catholici Hiſpaniarum Regis.*

L. ✠ S. *Ita eſt, & affirmo ego Joannes Roſinus publicus Bon. Not. Colleg. Apoſtolicus, & Imperialis, ac Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Collegii Medicinæ Bononiæ a Secretis Cancellarius. In quorum &c.*

PARS

PARS PRIMA

DE

MEDICAMENTIS GALENICIS.

SECTIO PRIMA

QUÆ EST

DE

ELECTUARIIS.

ANTIDOTA ET ELECTUARIA ALTERANTIA.

THERIACA ANDROMACHI.

℞. Trochiſcorum Scilliticorum ——— Uncias ſex:
de Vipera,
Hedychroi,
Piperis longi,
Opii,
Cinnamomi, ——————— ana Uncias tres:
Radicum Ireos Illyricæ,
Roſarum rubrarum,
Succi Glycyrrhizæ,
Opobalſami,
Seminum Napi dulcis,
Summitatum Scordii,
Agarici, ——— ana Unciam unam & ſemis:

Myrrhæ,
Cofti,
Croci,
Cafiæ Ligneæ,
Nardi Indicæ,
Schœnanthi,
Piperis nigri,
Thuris,
Summitatum Dictamni Cretici,
Rhapontici,
Comarum Stœchados,
Summitatum Marrubii,
Calaminthæ montanæ,
Seminum Petrofelini Macedonici,
Radicum Pentaphylli,
Zingiberis,
Terebinthinæ Cypriæ, ——— ana Drachmas fex:

Summitatum Polii montani,
Chamæpityos,
Nardi Celticæ,
Amomi enucleati,
Lacrymæ Styracis,
Radicum Meu Athamantici,
Summitatum Chamædryos,
Radicum Phu Pontici,
Terræ Lemniæ,
Foliorum Malabathri,
Chalcitidis uftæ,
Radicum Gentianæ,
Gummi Arabici,
Succi Acaciæ,
Hypociftidis,
Carpobalfami,

Car-

Cardamomi enucleati,
Seminum Anisi,
Fœniculi,
Seseleos,
Ammeos,
Thlaspeos,
Comarum Hyperici,
Sagapeni, ——————— ana Unciam semis:

Radicum Aristolochiæ tenuis,
Castorei,
Bituminis Judaici,
Seminum Dauci Cretici,
Comarum Centaurii minoris,
Opopanacis,
Galbani, ——————— ana Drachmas duas:

Vini Malvatici optimi — quantum satis est ad succos & lacrymas dissolvendas:

Mellis optimi despumati —— Libras quindecim.

Conficiatur solemni ritu in Archigymnasio a Societate Pharmacopœorum, coram universo nostro Collegio, legitime convocato: privatim Theriacam componere nemini jus esto.

Venenatis Animalium ictibus, corruptioni humorum, ac malignitati resistit, pestilentes halitus emendat, menses ciet, fœtum mortuum pellit, dolores sedat, vermes necat, flatus discutit, vomitum & alvi fluxus compescit. Cephalalgiæ quoque, vertigini, paralysi, convulsioni, asthmati, ventriculi imbecillitati, dysenteriæ, colicæ passioni, quartanæ febri, plurimisque aliis morbis subvenit, in tempore, & prudenter adhibita.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

MITHRIDATIUM DAMOCRATIS.

℞. Cinnamomi ———————— Uncias duas & ſemis:
Myrrhæ,
Croci,
Agarici,
Zingiberis,
Thuris,
Seminum Thlaſpeos,
Nardi Indicæ, ———— ana Drachmas decem:
Seminum Seſeleos,
Opobalſami,
Schœnanthi,
Coſti,
Galbani,
Comarum Stœchados,
Terebinthinæ Cypriæ,
Piperis longi,
Caſtorei,
Hypociſtidis,
Lacrymæ Styracis,
Opopanacis,
Malabathri, ———————— ana Unciam unam:
Caſiæ Ligneæ,
Summitatum Polii montani,
Scordii,
Piperis albi,
Seminum Dauci Cretici,
Carpobalſami,
Bdellii,
Trochiſcorum Cypheos, — ana Drachmas ſeptem:
Nar-

Nardi Celticæ,
Gummi Arabici,
Seminum Petroselini Macedonici,
Fœniculi,
Opii,
Cardamomi enucleati,
Radicum Gentianæ,
Summitatum Dictamni Cretici,
Rosarum rubrarum, — ana Drachmas quinque:

Seminum Anisi,
Radicum Asari,
Acori,
Phu Pontici,
Succi Glycyrrhizæ,
Sagapeni, ——————— ana Drachmas tres:

Radicum Meu Athamantici,
Succi Acaciæ,
Lumborum Scinci,
Summitatum Hyperici,
— ana Drachmas duas & semis:

Vini Malvatici — quantum satis est ad succos & lacrymas dissolvendas:

Mellis despumati ——————— Libras decem.

Mithridatii compositio, uti etiam Theriacæ, per leges nostras privatis interdicitur.

Theriacæ proximum est, sed imbecillius: ejus vires potissimum celebrantur adversus venena.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

DIA-

DIASCORDIUM FRACASTORII.

℞. Boli Armenæ Orientalis — Unciam unam & ſemis:

Summitatum Scordii ———— Unciam unam:

Lacrymæ Styracis — Drachmas quatuor & ſemis:

Galbani,
Gummi Arabici,
Cinnamomi,
Caſiæ Ligneæ,
Radicum Tormentillæ,
Biſtortæ,
Gentianæ,
Summitatum Dictamni Cretici,
Terræ ſigillatæ, ———— ana Unciam ſemis:

Zingiberis,
Piperis longi, ———— ana Drachmas duas:

Opii,
Seminum Acetoſæ,
— ana Drachmam unam & ſemis.

Contrita in pulverem omnia per gradus, & rite cribrata, quæ conteri & cribrari poſſunt, confunde paullatim cum triplo Mellis deſpumati tepentis: ſuccos & lacrymas ſeorſum diſſolve, adhibita ſufficienti quantitate Vini albi generoſi, & reliquis affunde: ultimo ſuperadde

Conſervæ Roſarum rubrarum —— Libram unam.

Miſce omnia ſimul, & fiat Electuarium juſtæ conſiſtentiæ.

Hac

Hac eadem ferme ratione compoſitio Electuariorum fiat, quæ ſpecies aridas, & ſuccos diſſolubiles continent: ut tamen proportio Mellis ad ſpecies nonnihil, pro artificis prudentia, variari poſſit.

Convenit malignis febribus, putridis, ac peſtilentibus, ubi Theriacæ uſus ſuſpectus: ad hyſtericos quoque, & convulſivos affectus compeſcendos, itemque ad dolores ſedandos efficaciſſimum.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

THERIACA DIATESSARON

SIVE

DE QUATUOR SPECIEBUS.

℞. Radicum Gentianæ,
Ariſtolochiæ longæ,
Baccarum Lauri,
Myrrhæ, ——————— ana Partes Æquales.

Redige omnia in pulverem, & miſce paullatim cum quadruplo Mellis deſpumati, ut fiat Electuarium ex lege artis.

Servata proportione, ita conficiantur cetera Electuaria, quæ aridas tantum ſpecies accipiunt.

Ventriculi inflationi, tardæque coctioni medetur; ac venenis quoque adverſari creditur: nunc maxime pro jumentis uſurpatur.

DOSIS a Scrupulo uno ad Scrupulos quatuor.

OR-

ORVIETANUM
Moysis Charas.

℞. Radicum Scorzoneræ,
Carlinæ,
Imperatoriæ,
Angelicæ,
Biſtortæ,
Ariſtolochiæ longæ,
Contrayervæ,
Dictamni albi,
Galangæ minoris,
Gentianæ,
Coſti,
Acori,
Seminum Petroſelini,
Foliorum Salviæ,
Roriſmarini,
Rutæ Caprariæ,
Cardui benedicti,
Dictamni Cretici,
Baccarum Lauri,
Juniperi,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Macis, ———————— ana Unciam ſemis:

Carnis Viperinæ cum cordibus, & hepatibus exſiccatæ — Uncias quatuor.

Pulveriſata omnia per gradus, miſce paullatim cum quadruplo Mellis deſpumati: poſtea ſuperadde
Theriacæ veteris ———————— Uncias quatuor.

Con-

Confunde omnia ſimul, ut fiat Electuarium juſtæ conſiſtentiæ.

Adverſus peſtem, & venenatos morſus præſidio eſt.

DOSIS a Scrupulo uno ad Scrupulos quatuor.

REQUIES MAGNA
NICOLAI SALERNITANI.

℞. Cinnamomi ——————— Drachmas tres;

Seminum Hyoſcyami albi,
Papaveris albi,
Endiviæ,
Portulacæ,
Lactucæ,
Pſyllii,
Radicum Mandragoræ,
Zingiberis,
Nucis Moſchatæ,
Violarum,
Roſarum rubrarum,
Opii, ——— ana Drachmam unam & ſemis;

Santali albi,
rubri,
Spodii ex Ebore,
Tragacanthi, —— ana Scrupulos duos & ſemis.

Cum quadruplo Mellis deſpumati fiat Electuarium.

Somnum conciliat, ad vigilias, quæ febribus accedunt, in primis commendata: parce Infantibus, ac circumſpecte exhibenda.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

TRYPHERA MAGNA

NICOLAI SALERNITANI.

℞. Opii,
Cinnamomi, ———————— ana Drachmas duas:

Radicum Galangæ minoris,
Zedoariæ,
Zingiberis,
Costi,
Acori,
Ireos,
Peucedani,
Cyperi Orientalis,
Caryophyllorum,
Calami Aromatici,
Nardi Indicæ,
Summitatum Hyssopi,
Calaminthæ montanæ,
Seminum Anisi,
Apii,
Petroselini,
Fœniculi,
Sinonis,
Dauci,
Ocimi,
Hyoscyami albi,
Lacrymæ Styracis,
Radicum Mandragoræ,
Nardi Celticæ,
Rosarum rubrarum, —— ana Drachmam unam.

Cum quadruplo Mellis despumati fiat ex lege artis Electuarium.

Ad passiones hystericas, ac cetera mala muliebria,
item-

itemque ad ſtomachi vitia plurimum confert. Sterilitatem inducere falſo creditur.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

Paratur etiam ſine Opio, ſervata reliquorum proportione.

DOSIS ita confectæ a Drachma dimidia ad Drachmam unam cum dimidia.

PHILONIUM ROMANUM

Mesuæ.

℞. Piperis albi,
Seminum Hyoſcyami albi,
— ana Drachmas viginti:
Opii ——————— Drachmas decem:
Croci Orientalis ———— Drachmas quinque:
Caſtorei,
Nardi Indicæ,
Pyrethri, ———— ana Drachmam unam.

Cùm quadruplo Mellis deſpumati fiat ſecundum artem Electuarium.

Ad dolores imi ventris ab humorum cruditate, & cauſa, ut veteres ajebant, frigida ortos utiliter præſcribitur; exacto ſemeſtri ſpatio ab illius compoſitione: quæ regula in ceteris Electuariis opiatis locum habet.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam dimidiam.

ELECTUARIUM DE BACCIS LAURI
RHASIS.

℞. Foliorum Rutæ ———————— Drachmas decem:

Baccarum Lauri,
Seminum Ammeos,
Petroſelini,
Cumini,
Nigellæ,
Leviſtici,
Carvi,
Dauci Cretici,
Piperis longi,
nigri,
Comarum Origani Cretici,
Radicum Acori,
Caſtorei,
Amygdalarum amararum excorticatarum,
— ana Drachmas duas:

Sagapeni ———————— Drachmas quatuor:

Opopanacis ———————— Drachmas tres.

Cum Mellis deſpumati, ad pondus ſpecierum aridarum, triplo fiat ſecundum artem Electuarium.

Doloribus colicis a frigida cauſa ſubvenit; modo abſit ingens alvi conſtrictio: apud nos fere locum non obtinet, niſi in clyſteribus.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas duas.

CON-

CONFECTIO ANACARDINA
MESUÆ.

℞. Anacardiorum,
Cubebarum,
Baccarum Lauri,
Cofti,
Sacchari albi, ————— ana Drachmas fex:
Cyperi Orientalis ———— Drachmas quatuor;
Myrobalanorum Chebularum,
Indarum,
Emblicarum,
Belliricarum,
Piperis longi,
nigri,
Caftorei, ————— ana Drachmas duas;

Anacardiis feorfum in pulverem contritis, poftea & reliquis, cum triplo Mellis defpumati fiat Electuarium denfius, poft fex menfes adhibendum; ea lege, ut præfcripta quælibet portio ante ufum temperetur, admiffa fufficienti quantitate Butyri Vaccini recentiffimi.

Cerebrum recreare, fenfus acuere, ac memoriæ ex morbo debilitatæ in primis conferre creditur: ad ventris etiam, & ftomachi dolores a cruditate humorum, ac inertia productos commendatur.

DOSIS a Drachma dimidia ad Scrupulos quatuor.

ELE-

ELECTUARIUM ANTIFEBRILE
BERGEMANNI.

℞. Chinæ - Chinæ ———————— Uncias ſex:
Stibii Diaphoretici ———— Unciam unam:
Zedoariæ ——— Unciam unam & ſemis:
Rob Juniperini ———— Uncias octo:
Syrupi Antiſcorbutici Foreſti —— Libras duas.

Fiat ſecundum artem Electuarium.

Uſus in Febribus intermittentibus.

DOSIS a Drachmis duabus ad Unciam dimidiam.

ELECTUARIUM DE LIMATURA CHALYBIS
FABRICII GARZONII.

℞. Limaturæ Martis præparatæ, ac ſupra porphyritem lævigatæ ———— Uncias ſex:
Specierum Aromatici Roſati —— Drachmas ſex:
Nucis Moſchatæ,
Cinnamomi, ———— ana Drachmas tres:
Rhabarbari ———— Drachmas duas:
Mellis optimi,
Sacchari albiſſimi Aqua Artemiſiæ diſſoluti, & in Syrupum cocti, — ana Uncias tredecim.

Pulveriſatis pulveriſandis, confunde omnia ſimul ad len-

lentum ignem, & fac Electuarium ex lege artis.

Diuturnis hepatis, ac lienis obstructionibus, mensium suppressioni, & albo virginum ictero efficaciter succurrit.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas duas.

DIASATYRION

Nicolai Salernitani.

℞. Radicum Satyrii recentium,
Pastinacæ hortensis,
Eryngii, – ana Unciam unam & semis.

Coque in Aquæ puræ quantitate sufficienti: tunde, & trajice per setaceum: pulpam sic trajectam dissolve in
Mellis albi despumati —— Libra una & semis.

Post levem ebullitionem adde
Medullæ optime contritæ Nucis Indicæ,
Pistaciorum,
Nucl. Pineorum,
— ana Unciam unam & semis.

Iterum coque, & postquam ab igne removeris, insperge, quæ sequuntur, subtiliter pulverisata:
Caryophyllorum,
Zingiberis,
Seminum Anisi,
Fraxini,
Erucæ, —— ana Drachmas quinque:

Cin-

Cinnamomi,
Lumborum, & caudarum Scinci,
Seminum Urticæ, — ana Drachmas duas & femis:
Mofchi ———————————— Grana octo.

Mifce, & in ufum ferva.

Pollet contra veficæ & renum imbecillitatem, atque inter aphrodifiaca medicamenta recenfetur.

DOSIS a Drachmis duabus ad Unciam unam.

ELECTUARIUM ANTIPHTHISICUM
WINCKLERI.

℞. Radicum recentium Tuffilaginis,
Confolidæ majoris,
— ana Uncias quatuor:
Enulæ Campanæ – Uncias duas.

Coque in Aquæ puræ quantitate fufficienti: tunde, trajice per fetaceum, & accipe
Paffularum minorum,
majorum five Zibebarum,
— ana Uncias fex.

Coque cum refiduo decocto radicum, & extrahe pulpam eodem modo; poftea fume
Foliorum Salviæ,
Betonicæ,
Veronicæ,
Hederæ terreftris,
Pulmonariæ,
Hyffopi, — ana Manipulum unum:

Bul-

Bulliant ad mollitiem in decocto a Passulis, & Zibebis relicto: ultimo accipe

Decocti colati,
Sacchari albissimi, ———— ana Libram unam.

Coque ad syrupi densioris consistentiam: colato adde

Pulpas Radicum, & Passularum &c.

Medullæ contusæ Nucl. Pineorum,
Amygdalarum dulcium,
— ana Uncias tres.

Iterum coque ad justam spissitudinem: ultimo, quæ sequuntur, in pulverem redacta insperge:

Cinnamomi ———————— Drachmas duas:
Croci ———————— Scrupulum unum.

Misce, & fac Electuarium ex lege artis.

Tenues, & acres humores in pectus defluentes mitigat, pulmonum ulcera consolidat: ad phthisicos, hecticos, tabidosque nondum confirmatos reficiendos plurimum commendatur.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Unciam unam.



CONFECTIONES CARDIACÆ.

CONFECTIO ALKERMES MESUÆ.

℞. Folliculorum Sericorum, ex quibus extracti, non enati ſint bombyces, minutim inciſorum
— Uncias tres.

Macera per horas XXIV. in
Aquæ Bugloſſæ,
Succi depurati Pomorum Appianorum,
— ana Libra una & ſemis.

Ferveant lento igne: decoctum exprime, & adde
Granorum Kermes ante exanimationem decerptorum, vel eorum loco Coccinellæ contuſæ
— Uncias duas.

Fac ut leviter bulliant, affuſo interim, ſi placeat, ſucci Limonum pauxillulo: deinde iterum cola, & in liquore expreſſo diſſolve
Sacchari puriſſimi —— Libram unam & ſemis.

Coque in ſyrupum valde ſpiſſum, cui ab igne remoto, ac refrigeſcenti admiſce paullatim, quæ ſequuntur, in pulverem ſubtiliter trita, &, quæ opus eſt, ſupra porphyritem lævigata:
Ligni Aloes,
Cinnamomi, ———— ana Unciam unam:

Lapidis Lazuli,
Margaritarum, ———— ana Drachmas duas.

Sub

Sub finem ſuperadde
Folia Auri puriſſimi —— Numero quadraginta,

Miſce, & in uſum ſerva.

Princeps huic fere locus tribuitur inter cardiaca medicamenta.
DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

Confectionem parare poteris vehementer odoratam, juxta priſcam Auctoris deſcriptionem, ſi ceteris ſpeciebus addas
Ambræ Griſeæ ———————— Drachmas duas:
Moſchi ———————— Scrupulum unum.

Non vero talem exhibebis, niſi expreſſe *cum odoribus* a Medico præſcriptam.

CONFECTIO ALKERMES
MINOR.

℞. Cinnamomi ———————— Drachmas ſex:
Santali Citrini,
Nucis Moſchatæ,
Matris Perlarum præparatæ,
— ana Drachmas duas:
Syrupi de Coccinella ———— Libram unam.
Fiat ſecundum artem Confectio mollis.

In locum Confectionis Alkermes ſubſtitui poteſt, ad uſum ægrotantium tenuioris fortunæ.
DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

CONFECTIO DE HYACINTHO.

℞. Fragmentorum Hyacinthi — Drachmas quatuor:
Smaragdi,
Sapphiri,
Topazii,
Rubini,
Margaritarum,
Radicum Behen albi,
rubri,
Dictamni albi,
Tormentillæ,
Rosarum rubrarum,
Terræ sigillatæ,
Boli Armenæ Orientalis, — ana Scrupulos duos:

Coralliorum rubrorum,
alborum,
Rasuræ Eboris,
Spodii ex Ebore,
Ligni Aloes, ——— ana Drachmam semis:

Ossa de Corde Cervi ——— Numero decem:

Serici crudi,
Granorum Kermes, vel eorum loco Coccinellæ,
Cornu Cervi usti,
Seminum Portulacæ,
Coriandri,
Acetosæ, —— ana Scrupulum unum:

Citrei recentium — Scrupulos quatuor:

Santalorum omnium, —- ana Drachmam unam.

Pul-

Pulverisata omnia per gradus, &, quæ opus est, supra porphyritem præparata, confunde paullatim cum
Syrupi de acetositate Citrei ——— Libra una,

in qua prius dissolveris
Croci Orientalis subtilissime contriti
—— Scrupulos quatuor.

Ultimo superadde
Folia Auri purissimi ——— Numero quadraginta.

Misce, & fiat ex arte Confectio mollis.

Valet plurimum ad cordis, & partium nobiliorum affectus: adversus lipothymiam, ac syncopem auxilio est; tristitiam sine manifesta causa pellit: febribus quoque malignis, ac pestilentibus cum successu adhibetur.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

Si cum odoribus parare volueris, omisso Croco, speciebus reliquis adde
Ambræ Griseæ,
Moschi, ——————— ana Grana octo.

Sed ad communem usum eam, quæ sine odoribus est, exhibebis.

CONFECTIO CORROBORANS

Pharmacopoeiæ Leidensis.

℞. Coralliorum rubrorum ——— Unciam semis:
Boli Armenæ Orientalis ——— Unciam unam:

Gra-

Granorum Kermes, vel eorum loco Coccinellæ,
Radicum Dictamni albi,
Tormentillæ,
Seminum Acetosæ,
Limonum,
Portulacæ,
Rosarum rubrarum,
Santalorum omnium,
Rasuræ Eboris, ——— ana Scrupulos quatuor:
Cornu Cervi ———— Drachmas tres.

Pulverisata omnia, ut decet, misce paullatim cum
Syrupi de acetositate Citrei ——— Libra una,

in qua prius dissoluti fuerint
Croci subtilissime triti ——— Scrupuli quatuor.

Misce, ut fiat ex arte Confectio mollis.

Pauperibus esse potest loco Confectionis de Hyacintho, ex qua fere desumpta est.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

CONFECTIO CORDIALIS

Aromatica.

℞. Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Macis,
Santali Citrini, ———— ana Partes Æquales.

Cum sufficienti quantitate Syrupi de Pomis, fiat secundum artem Confectio mollis.

Ven-

Ventriculum roborat, ſpiritus reficit, languore virium oppreſſis, & animo deficientibus ſuccurrit.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

ELECTUARIA PURGANTIA.

ELECTUARIUM LENITIVUM.

℞. Paſſularum ———— Uncias duas & ſemis:

Foliorum Capilli Veneris,
Violarum recentium,
Hordei mundi, ——— ana Manipulum unum:

Jujubas,
Fructus Sebeſten, ——— ana Numero viginti:

Glycyrrhizæ ———— Unciam ſemis:

Pulpæ Prunorum Damaſcenorum,
Tamarindorum, —— ana Drachmas ſex:

Sennæ Orientalis,
Radicum Polypodii, ——— ana Uncias duas:

Foliorum Mercurialis
— Manipulum unum & ſemis.

Coque per gradus in Aquæ fontis Libris octo, ad conſumptionem tertiæ partis: decoctum cola, & in ſufficienti colaturæ portione diſſolve
Sacchari albi ———— Libras tres.
Fiat

Fiat ſyrupus, cui ſufficienter coćto admiſce
Conſervæ Violarum,
Pulpæ Prunorum Damaſcenorum,
Tamarindorum,
Caſſiæ (quæ pulpæ cum altera parte ejuſdem decocti extractæ fuerint)
— ana Uncias ſex.

Coque lento igne in Electuarium, cui ſub finem coctionis ſuperadde
Sennæ Orientalis ſubtiliter pulveriſatæ
— Uncias tres & ſemis.

Miſce, & in uſum ſerva.

Alvum blande ſubducit, ac bilioſa in primis, & melancholica excrementa ſine moleſtia dejicit.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Unciam unam cum dimidia.

DIAPRUNUM LENITIVUM

NICOLAI SALERNITANI.

℞. Pruna Damaſcena —— Numero quinquaginta:
Violarum ——— Unciam unam & ſemis.

Decoque in Aquæ fontis Libris quinque, ut pulpa Prunorum extrahi poſſit, & per ſetaceum trajici: decoctum cola, & in ſufficienti ejuſdem portione diſſolve
Sacchari albi ——— Libras duas.

Coque in ſyrupum, cui ſenſim admiſce
Pulpæ Prunorum ſupradictæ —— Libram unam.

Pul-

Pulpæ Caſſiæ,
Tamarindorum (quæ duæ pulpæ cum reliqua decocti portione extractæ fuerint)
— ana Unciam unam.

Coque leni calore in Electuarium; circa finem vero coctionis inſperge, quæ ſequuntur, in pulverem contrita:

Santali albi,
rubri,
Spodii ex Ebore,
Rhabarbari, ——————— ana Drachmas tres:
Cinnamomi ——————— Drachmas ſex:
Roſarum rubrarum,
Violarum,
Seminum Portulacæ,
Scariolæ,
Fructuum Berberis,
Succi Glycyrrhizæ,
Tragacanthi,
Seminum quatuor frigidorum majorum,
— ana Drachmam unam.

Miſce, & in uſum ſerva.

Mitiſſimum, atque optimum leniens habetur; quod etiam in acutis morbis, ac febribus ardentibus, locum habere poſſit.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Unciam unam cum dimidia.

Fit purgativum, ſuperaddendo ſingulis Libris Electuarii ab igne remoti
Diacrydii ——————— Drachmas ſeptem.
DOSIS a Drachmis duabus ad Unciam dimidiam.

ELECTUARIUM
SIVE
CONSERVA DE PRUNIS LENITIVA.

℞. Infusi Sennæ,
Sacchari albi, ———————— ana Libras duas:

Fiat Syrupus ex arte, cui decenter cocto immisce
Pulpæ Prunorum Damascenorum secundum artem
extractæ —— Libram unam.

Coque ad similitudinem Electuarii.

DOSIS ab Uncia una ad Uncias duas.

PASSULÆ LAXATIVÆ.

℞. Infusi Sennæ ——————————— Libras duas:

Sacchari rubri ——————————— Libram semis.

Ad Syrupi dilutioris consistentiam redige, & immitte
Passularum repurgatarum ———— Libram unam.

Rursus coque lento igne, dum Syrupus spissescat: Passulas ita præparatas, cum proprio Syrupo ad usum repone.

Ut purgativæ fiant, refrigescentibus insperge
Diacrydii subtiliter pulverisati — Scrupulos duos: adhibita cura, ut habeatur perfecta ejusdem distributio per totam massam.

DOSIS lenitivarum ad Uncias duas, purgantium ad Unciam unam.

ELE-

ELECTUARIUM ALEXANDRINUM

ALEXANDRI PETRONII.

℞. Radicum Polypodii recentium — Uncias quatuor:
Sennæ Orientalis,
Radicum Althææ, ———— ana Uncias duas:
Seminum Anisi ———— Drachmas duas.

Coque in Aquæ puræ Libris sex, ad consumptionem medietatis: decoctum cola, & fortiter exprime: in expresso dissolve
Pulpæ Passularum Vino Malvatico maceratarum — Uncias sex:
Sacchari albi ———— Uncias duas.

Leniter coque in Electuarium densius.

Sine molestia alvum movet; thoracem quoque, ac renes purgat: pueris, ac fœminis prægnantibus tuto præscribitur.

DOSIS ab uncia una ad Uncias duas.

DIACASSIA CUM MANNA

JOANNIS DE CONCOREGIO.

℞. Prunorum Damascenorum,
Violarum recentium, ———— ana Uncias sex.

Bulliant cum Aquæ puræ Libris sex: decoctum cola, & in sufficienti ejusdem portione dissolve

Sacchari rubri ——————— Libram unam:

Penidiorum ——————— Uncias quinque:

Syrupi Violati ſolutivi ——— Uncias decem.

Coque in Syrupum, in quo rurſus diſſolve
Mannæ electæ,
Pulpæ Caſſiæ, cum alia decocti parte extractæ,
— ana Uncias ſex:

Tamarindorum, ſimiliter extractæ,
— Uncias quinque.

Leniter coque ad juſtam Electuarii conſiſtentiam.

Blande, & citra moleſtiam evacuat, thoracem lenit, adverſus nephriticas paſſiones auxilio eſt.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Unciam unam cum dimidia.

ELECTUARIUM

SIVE

CONSERVA DE CASSIA DONZELLI.

℞. Glycyrrhizæ ——————— Uncias duas:

Seminum quatuor frigidorum majorum,
Malvæ, ——— ana Unciam unam:

Foliorum Capilli Veneris — Manipulum unum.

Decoque ex arte in
Aquæ Malvæ ——————— Libris ſex.

Decoctum cola, & in ſufficienti colaturæ portione diſſolve
Sacchari albi ——————— Libras tres.

Fiat

Fiat Syrupus, cui ſufficienter coƈto admiſce
Pulpæ Caſſiæ, cum alia decoƈti parte extraƈtæ,
— Libras duas:
Tamarindorum, ſimiliter extraƈtæ,
— Uncias ſex.

Coque lento igne in Eleƈtuarium: refrigerato inſperge
Cinnamomi ſubtiliter pulveriſati — Unciam unam.

Miſce, & in uſum ſerva.

In ſtranguria, dyſuria, & gonorrhœa, ad alvum molliendam, reneſque expurgandos commodiſſime adhibetur.

DOSIS ab Uncia una ad Unciam unam cum dimidia.

CASSIA EXTRACTA

PRO CLYSTERIBUS.

℞. Foliorum Malvæ,
Violariæ,
Mercurialis,
Betæ,
Parietariæ, — ana Manipulum unum:
Summitatum Abſinthii —— Manipulos quinque.

Decoque in Aquæ communis Libris ſex, ad conſumptionem medietatis: decoƈtum cola, & in ſufficienti ejuſdem portione diſſolve
Mellis deſpumati ———————— Uncias ſex.

Coque ad Syrupi conſiſtentiam: poſtea ſuperadde

Pul-

Pulpæ Caſſiæ, cum reliqua decocti parte extractæ,
— Libram unam.

Leniter coque ad ſimilitudinem Electuarii.

Clyſteribus additur lenioris ſtimuli loco.

DIACATHOLICON
ARNALDI DE VILLANOVA.

℞. Radicum Polypodii recentium — Libram unam:
Seminum Aniſi ———————— Uncias quatuor.

Decoque ex arte in Aquæ fontis Libris duodecim: decoctum cola, & in ſufficienti illius portione diſſolve
Sacchari albi —————————— Libras octo.

Coque ad Syrupi conſiſtentiam, & adde
Pulpæ Caſſiæ,
Tamarindorum (quæ pulpæ cum reſidua decocti parte extractæ fuerint)
— ana Uncias octo.

Coque igne lento ad juſtam evaporationem: poſtea ſuperadde, quæ ſequuntur, optime contuſa, &, quæ opus eſt, in pulverem redacta:
Sennæ Orientalis ————————— Uncias octo:

Seminum quatuor frigidorum majorum,
— ana Unciam unam:

Rhabarbari,
Violarum,
Radicum Polypodii, —— ana Uncias quatuor:
Gly-

Glycyrrhizæ ——————————— Uncias duas:

Penidiorum ——————————— Uncias quatuor.

Miſce, ac repone ad uſum.

Alvum mollit, leniterque purgat: cachecticis, hepaticis, lienoſis, podagricis, & arthriticis potiſſimum conveniens.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Unciam unam.

ELECTUARIUM CATHOLICUM FRAMBESARII.

℞. Pulpæ Caſſiæ ——————————— Uncias tres:

Tamarindorum — Unciam unam & ſemis:

Sennæ Orientalis,
Cremoris Tartari, ——— ana Unciam unam:

Jalappæ,
Salis Tartari, ——————— ana Unciam ſemis:

Rhabarbari ——————————— Drachmas duas.

Peracta leni pulparum coctione cum
Mellis deſpumati ——————— Unciis decem:

pulveriſatis reliquis, & ſuperadditis, fiat Electuarium ex arte.

Ab univerſali humorum evacuatione nomen deſumpſit, uti etiam Diacatholicon, quo tamen paullo validius operatur.

DOSIS a Drachmis duabus ad Drachmas ſex.

CON-

CONFECTIO HAMECH.

℞. Myrobalanorum Citrinarum — Uncias quatuor:
Chebularum,
Indarum,
Rhabarbari,
Epithymi, ———————— ana Uncias duas:

Sennæ Orientalis,
Comarum Thymi Orientalis,
Summitatum Abſinthii, — ana Unciam unam:

Violarum ————— Drachmas quindecim:

Roſarum rubrarum,
Seminum Fœniculi,
Aniſi, ———— ana Drachmas ſex:

Radicum Polypodii,
Agarici,
Colocynthidos,
— ana Uncias duas, & Drachmas duas:

Pruna Damaſcena ——— Numero ſexaginta,

Paſſularum —————————— Uncias ſex.

Modice trita infunde, & macera per diem, identidem agitando, in
Seri Caprilli depurati ——— Libris duodecim:

Succi Fumariæ depurati ———— Libra una.

Coque leniter ad unicam ebullitionem, cola, & fortiter exprime: in expreſſo diſſolve
Mannæ electæ ——————— Uncias duas:

Pul-

Pulpæ Caſſiæ ———————— Uncias quatuor:

Tamarindorum ——— Uncias quinque:

Rurſus cola per ſetaceum laxius: colaturæ ſuperadde

Sacchari albi ———— Libram unam & ſemis.

Coque ad mellis denſioris ſpiſſitudinem: refrigeſcenti inſperge, quæ ſequuntur, ut decet, pulveriſata:

Myrobalanorum Citrinarum,
Chebularum,
— ana Unciam ſemis:

Indarum,
Belliricarum,
Emblicarum,

Rhabarbari,
Seminum Fumariæ, ——— ana Drachmas tres:

Nardi Indicæ,
Seminum Aniſi, ———— ana Drachmas duas:

Diacrydii ————— Unciam unam & ſemis.

Miſce, ut fiat Electuarium juſtæ conſiſtentiæ.

In ſcabie, impetigine, ac ceteris cutis fœditatibus; itemque in aliis chronicis affectibus, ad alvum ſolvendam, & ad pravos humores vel dejiciendos, vel emendandos celebratur.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas quatuor.

Paratur etiam ſine Diacrydio, ut vis purgatoria minuatur.

DOSIS a Drachmis quatuor ad Unciam unam.

DIAPHOENICON MESUÆ.

℞. Pulpæ Dactylorum, in Hydromelite maceratorum, per setaceum trajectæ —— Libram unam:

Amygdalarum dulcium decorticatarum, & contusarum — Uncias quatuor:

Penidiorum ——————— Libram semis.

Dissolve in
Mellis despumati —————— Libris tribus.

Coque paullatim ad justam spissitudinem: semirefrigeratis insperge, quæ sequuntur, rite pulverisata:
Turpethi — Uncias quatuor, & Drachmas tres:

Cinnamomi —————— Drachmas quinque:

Galangæ minoris,
Piperis longi,
Zingiberis,
Foliorum Rutæ,
Ligni Aloes,
Macis,
Seminum Fœniculi,
Anisi,
Dauci, — ana Drachmas duas & semis:

Diacrydii ——— Uncias duas, & Drachmas sex.

Misce, ut perfectum Electuarium evadat.

Ad ventriculi cruditates, indeque ortos chronicos affectus, biliosos humores, ac pituitosos exstirpando, opem præstat.

DOSIS a Drachmis tribus ad Drachmas sex.

DIATARTARUM
PETRI CASTELLI.

℞. Tartari puri,
Sennæ Orientalis, — ana Unciam unam & ſemis:

Mannæ electæ,
Sacchari rubri, ——————— ana Unciam unam:

Zingiberis,
Cinnamomi,
Galangæ minoris,
Seminum Aniſi, ————— ana Drachmam unam.

Cum Syrupi Roſati ſolutivi Unciis quinque fiat ex lege artis Electuarium.

Clementer purgat, omnique ætati, ac temperamento convenit. Arthritide, ac lue venerea male affectis, crebro uſurpatum, prodeſt.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Unciam unam.

ELECTUARIUM DE SUCCO ROSARUM
NICOLAI SALERNITANI.

℞. Succi Roſarum rubrarum depurati,
Sacchari albi, ——————— ana Uncias ſexdecim.

Coque in Syrupum denſiorem, cui ab igne remoto, ac tepenti inſperge, quæ ſequuntur, optime in pulverem contrita:

Santalorum omnium, ——— ana Drachmas ſex:

Spodii ex Ebore ————————— Drachmas tres:

Diacrydii ————————— Drachmas duodecim:

Camphoræ ——————————— Scrupulum unum.

Miſce, & fac ſecundum artem Electuarium molle.

Purgat citra moleſtiam, & pravorum humorum reliquias potenter expellit: podagricis maxime, & arthriticis præſidio eſt.

DOSIS a Drachmis duabus ad Unciam dimidiam.

BENEDICTA LAXATIVA

NICOLAI SALERNITANI.

℞. Radicum Turpethi,
Eſulæ majoris præparatarum,
Sacchari albi, ——————— ana Drachmas decem:

Diacrydii,
Hermodactylorum,
Roſarum rubrarum, — ana Drachmas quinque:

Caryophyllorum,
Nardi Indicæ,
Zingiberis,
Croci Orientalis,
Radicum Saxifragæ,
Piperis longi,
Amomi enucleati,
Cardamomi minoris enucleati,
Galangæ minoris,
Seminum Apii,
Petroſelini,

Se-

Seminum Fœniculi,
Aſparagi,
Ruſci,
Lithoſpermi,
Carvi,
Salis Gemmei, ——— ana Drachmam unam.

Pulveriſata omnia per gradus, miſce cum
Mellis deſpumati ——— Libra una & ſemis.

Et fiat ſecundum artem Electuarium.

Humores craſſos & viſcidos educit. Hac noſtra ætate locum habet potiſſimum in clyſteribus.

DOSIS a Drachmis tribus ad Drachmas ſex.

ELECTUARIUM PURIFICANS
Dispensatorii Viennensis.

℞. Sarſæ parillæ,
Mercurii crudi, ——— ana Libram unam.

Infunde per noctem in Aquæ communis Libris quatuor & viginti: coque ad remanentiam Librarum trium: ablato Mercurio, decoctum cola, & in liquore colato diſſolve —
Mellis deſpumati ——— Libras ſex.

Rurſus coque ad conſiſtentiam Mellis: remove ab igne, ac ſemirefrigerato inſperge, quæ ſequuntur, decenter pulveriſata:

Sarſæ parillæ ——— Uncias novem:

Sennæ Orientalis ——— Uncias quatuor:

Her-

Hermodactylorum ——————— Uncias tres:

Radicum Polypodii,
Foliorum Trifolii Fibrini,
— ana Unciam unam & ſemis:

Seminum Aniſi ——————— Drachmas ſex:

Miſce, ut fiat ex lege artis Electuarium.

Ad luem veneream vires illius eximiæ celebrantur.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Unciam unam.

HIERA PICRA SIMPLEX GALENI.

℞. Specierum Hieræ Picræ ſimplicis
— Uncias quatuor:

Mellis deſpumati ——————— Libram unam.

Miſce, & fac Electuarium ſecundum artem.

Ventriculum a lentis, putridiſque humoribus liberat, alvi excrementa movet, ac menſium ſuppreſſione laborantibus auxiliatur.

DOSIS a Drachmis duabus ad Drachmas tres.

SECTIO II.

QUÆ EST

DE

PILULIS.

PILULÆ PURGANTES.

PILULÆ CATHOLICÆ
VULGO DICTÆ
PILULÆ GALENI.

℞. Aloes Soccotrinæ ———————— Drachmas tres:
Trochiſcorum Alhandal,
Diacrydii, ——————— ana Drachmas duas.

Pulveriſata omnia ſubtiliter, miſce paullatim cum ſufficienti quantitate Mellis Roſati ſolutivi, ut fiat ſecundum artem Maſſa Pilularis.

Dejiciunt humores cujuſque generis, ut nomen ſignificat: adhibentur vel ſolæ, ad purgandum, vel pilulis aliis permiſtæ, ad earum vim acuendam.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam dimidiam.

PI-

PILULÆ AUREÆ
NICOLAI SALERNITANI.

℞. Aloes Soccotrinæ,
Diacrydii, ——— ana Drachmas quinque:

Trochiſcorum Alhandal,
Specierum Hieræ ſimplicis,
Croci, ——— ana Drachmam unam:

Roſarum rubrarum,
Seminum Apii, — ana Drachmas duas & ſemis:

Aniſi,
Fœniculi,
— ana Drachmam unam & ſemis.

Cum ſufficienti quantitate Mellis Roſati ſolutivi fiat ex lege artis Maſſa Pilularis.

Bilem, ac pituitam potenter attrahunt: capiti, oculis, ventriculo, inteſtinis auxilium ferunt.

DOSIS a Scrupulo uno ad Scrupulos duos.

PILULÆ FOETIDÆ
MESUÆ.

℞. Euphorbii,
Aloes Soccotrinæ,
Trochiſcorum Alhandal,
Sagapeni,
Ammoniaci,

Opo-

Opopanacis,
Bdellii,
Epithymi,
Foliorum Rutæ, ——— ana Drachmas quinque:

Hermodactylorum,
Radicum Esulæ præparatarum,
Cinnamomi, ————— ana Drachmas duas:

Nardi Indicæ,
Croci,
Castorei, ————— ana Drachmam unam:

Zingiberis ———— Drachmam unam & semis:

Turpethi ————————— Unciam semis:

Diacrydii ————————— Drachmas tres.

Lacrymis in succo Porri dissolutis, reliquis subtiliter pulverisatis, cum justa quantitate Mellis Rosati solutivi fiat ex arte Massa Pilularis.

Adversus scabiem, elephantiasim, doloresque articulares, crassam, lentam, & viscidam pituitam ducendo, opem præstant.

DOSIS a Scrupulo uno ad Scrupulos duos.

PILULÆ COCHIÆ RHASIS.

℞. Specierum Hieræ Picræ simplicis
— Drachmas decem:

Trochiscorum Alhandal
— Drachmas tres, & Scrupulum unum:

Diacrydii ———— Drachmas duas & semis:

Turpethi,
Comarum Stœchados, — ana Drachmas quinque:

Syrupi de Stœchade ——————— quod ſatis eſt.

Fiat Maſſa Pilularis ſecundum artem.

Ad capitis, ac nervorum affectus efficaciſſimæ prædicantur.

DOSIS a Scrupulo uno ad Scrupulos duos.

Erunt Pilulæ Cochiæ cum Helleboro, ſi reliquis ſpeciebus addas

Fibrarum Hellebori nigri ——— Unciam unam.

DOSIS eadem.

PILULÆ AGGREGATIVÆ

MESUÆ.

℞. Rhabarbari,
Myrobalanorum Citrinarum, - ana Unciam ſemis:
Chebularum,
Indarum,
Trochiſcorum Alhandal,
Agarici,
Radicum Polypodii,
Succi concreti Eupatorii,
Abſinthii, — ana Drachmas duas:

Diacrydii ————————— Drachmas quinque:

Aloes Soccotrinæ,
Turpethi, ————————— ana Drachmas ſex:

Salis Gemmei,

Zin-

Zingiberis,
Epithymi,
Rosarum rubrarum,
Mastiches,
Seminum Anisi, ——— ana Drachmam unam.

Pulverisatis omnibus pulverisandis, cum sufficienti quantitate Syrupi Rosati solutivi, fiat Massa Pilularis ex lege artis.

In chronicis capitis, thoracis, atque hepatis affectibus, ad diversi generis humores trahendos, commendantur.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

PILULÆ LUCIS

Mesuæ.

℞. Sennæ Orientalis,
Rhabarbari, ———— ana Drachmas quinque:
Myrobalanorum omnium, — ana Unciam semis:
Trochiscorum Alhandal,
Agarici,
Turpethi,
Radicum Asari,
Rosarum rubrarum,
Violarum,
Summitatum Absinthii,
Florum Schœnanthi,
Epithymi,
Calami Aromatici,
Nardi Indicæ,

Macis,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum,
Cubebarum,
Carpobalſami,
Xylobalſami,
Cinnamomi,
Seminum Seſeleos,
Rutæ,
Aniſi,
Fœniculi,
Apii,
Maſtiches, ———— ana Drachmas duas:

Summitatum Euphraſiæ ———— Drachmas ſex:

Aloes Soccotrinæ ———— ad Pondus omnium.

Adhibita ſufficienti quantitate Succi Fœniculi julebiſati, ex lege artis fiat Maſſa.

Excrementa pituitoſa e capite deducere in primis cenſentur: lippitudini, aliiſque oculorum affectibus peculiariter deſtinatæ.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

PILULÆ DE FUMARIA

AVICENNÆ.

℞. Myrobalanorum Citrinarum,
Chebularum,
Indarum,
Diacrydii, ———— ana Drachmas quinque:

Aloes

Aloes Soccotrinæ ——————— Drachmas ſeptem.

Omnia rite pulveriſata redige in maſſam cum ſufficienti quantitate Succi Fumariæ depurati: relinque maſſam ſub Sole, ut exſiccetur: novum ſuccum affunde, & iterum exſicca: idem fac tertia vice: ante perfectam exſiccationem adde Syrupi de Fumaria quod ſatis fuerit pro decenti humectatione; & fiat Maſſa Pilularis juſtæ conſiſtentiæ.

Ducunt humores acres, ſalſos, & aduſtos, a quibus ſcabies, herpetes, pruritus, & impetigines ſuboriuntur.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

PILULÆ DE AGARICO
MESUÆ.

℞. Agarici trochiſcati,
Maſtiches, ——————— ana Drachmas tres:

Radicum Ireos Florentinæ,
Summitatum Marrubii,
Myrrhæ, ——————— ana Drachmam unam:

Turpethi ——————— Drachmas quinque:

Specierum Hieræ ſimplicis — Drachmas quatuor:

Trochiſcorum Alhandal,
Sarcocollæ, ——————— ana Drachmas duas.

Cum ſufficienti quantitate Sapæ fiat ſecundum artem Maſſa Pilularis.

Va-

Valent ad craſſos, & viſcidos humores expellendos; comati, vertigini, aliiſque affectibus ab ea cauſa productis ſuccurrunt.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

PILULÆ DE HERMODACTYLIS

Mesuæ.

℞. Hermodactylorum ——— Drachmas quinque:
Myrobalanorum Citrinarum — Drachmas tres:
Diacrydii ——— Drachmas duas & ſemis:
Roſarum rubrarum ——— Drachmas duas:
Aloes Soccotrinæ ——— Drachmas decem.

Cum juſta quantitate Mellis Roſati ſolutivi fiat Maſſa Pilularum ex arte.

Craſſos humores, & ſeroſos ab articulis evellunt: arthritidi propterea, iſchiadi, aliiſque nervorum, & juncturarum frigidis morbis conducunt.
DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

PILULÆ ARTHRITICÆ

Nicolai Salernitani.

℞. Hermodactylorum,
Turpethi,
Agarici trochiſcati, ——— ana Unciam ſemis:
Salis Gemmei,

Caſiæ

Casiæ ligneæ,
Nardi Indicæ,
Caryophyllorum,
Xylobalsami,
Zingiberis,
Carpobalsami,
Mastiches,
Radicum Saxifragæ,
Rosarum rubrarum,
Seminum Fœniculi,
Anisi,
Asparagi,
Rusci,
Lithospermi, — ana Drachmam semis:

Aloes Soccotrinæ ——— ad Pondus omnium.

Cum sufficienti quantitate Succi Fœniculi julebisati ex lege artis fiat Massa.

Usus in articulorum doloribus a pituita crassa ortum trahentibus.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

PILULÆ DE MASTICHE

PETRI DE APONO.

℞. Aloes Soccotrinæ ———— Drachmas decem:

Mastiches ———— Drachmas quatuor:

Agarici trochiscati ———— Drachmas tres.

Cum justa quantitate Syrupi de Stœchade fiat secundum artem Massa Pilularis.

Ven-

Ventriculum a corruptela humorum defendunt, & roborant: capitis, & uteri vitia emendant.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

PILULÆ SINE QUIBUS ESSE NOLO
NICOLAI SALERNITANI.

℞. Aloes Hepaticæ lotæ – Drachmas quatuordecim:
Diacrydii ———————— Drachmas ſex:
Agarici trochiſcati,
Sennæ Orientalis,
Myrobalanorum omnium,
Rhabarbari,
Maſtiches,
Comarum Abſinthii,
Cuſcutæ,
Roſarum,
Violarum, ———— ana Drachmam unam.

Redigantur omnia ſubtiliter in pulverem, & adhibita ſufficienti quantitate Syrupi de duabus radicibus, fiat ex arte Maſſa Pilularum.

Vitioſos humores a capite, & ſenſuum organis avertere exiſtimantur; ad ſuffuſiones, & oculorum caligines, auriumque dolores mirifice olim commendatæ.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

PILULÆ DE SUCCINO
CRATONIS.

℞. Aloes Soccotrinæ ———— Drachmas decem:
Mastiches,
Succini, ———— ana Drachmas quatuor:
Agarici trochiscati ———— Drachmas tres:
Radicum Aristolochiæ rotundæ
— Drachmam unam:
Syrupi de Betonica ———— quantum satis est.

Fiat Massa Pilularis ex lege artis.

Modice purgant, ad capitis nervorumque affectus quotidiano usu probatissimæ.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

PILULÆ DE HIERA.

℞. Specierum Hieræ Picræ simplicis Galeni
— quantum placet.

Cum sufficienti quantitate Mellis Rosati solutivi fiat secundum artem Massa Pilularis.

Biliosos humores, ac pituitosos dejiciunt.
DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

Speciebus Hieræ si æqualem portionem adjunxeris Agarici trochiscati, erunt Pilulæ de Hiera cum Agarico.

DOSIS eadem.

PILULÆ DE TRIBUS CUM RHABARBARO.

℞. Rhabarbari ——————————— Unciam unam:

Agarici trochiſcati,
Aloes Soccotrinæ, ——— ana Unciam ſemis.

Cum ſufficienti quantitate Mellis Roſati ſolutivi fiat ex arte Maſſa Pilularis.

Bilem, ac pituitam ſubducunt: ventriculo, thoraci, & capiti auxiliantur.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

PILULÆ PESTILENTIALES RHASIS

VULGO DICTÆ

PILULÆ RUFI.

℞. Aloes Soccotrinæ ———————— Unciam ſemis:

Myrrhæ,
Croci, —————————— ana Drachmas duas:

Syrupi de ſucco Limonum — quantum ſatis eſt.

Fiat Maſſa Pilularis ex lege artis.

Corpus ab excrementis liberant, eoque nomine ab invaſu contagioſæ luis tutum præſtare poſſunt.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

PILULÆ AD LONGAM VITAM.

℞. Aloes Soccotrinæ ———————— Uncias quinque:
Myrrhæ ———————————— Uncias tres:
Croci Orientalis ——————— Uncias duas:
Rhabarbari ———————— Unciam unam.

Diſſolvantur omnia ſubtiliter contrita in
Succi depurati Cichorii ſilveſtris —— Unciis ſex.

Maſſa in vaſe terreo vitreato ad Solem, vel ignem moderatum inſpiſſetur; & fiant Pilulæ ſecundum artem.

Frequenter uſurpatæ impuram humorum colluviem, quæ multorum ſæpe morborum radix eſt, paullatim eliminant; unde ſpes bonæ valetudinis, ac diuturnæ vitæ.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

PILULÆ DE ALOE ROSATA

HIER. FABR. AB AQUAPENDENTE.

℞. Aloes Soccotrinæ ——————— Uncias quatuor:
Succi Roſarum communium ——— Libram ſemis.

Miſce in vaſe terreo vitreato, velo cooperto, & maſſam Soli expoſitam agita bis quotidie, donec inſpiſſetur: æqualem ſucci quantitatem rurſus affunde, & agita ſimiliter uſque ad condenſationem: repete omnia tertia, & quarta vice: ex maſſa fiant Pilulæ ad uſum ſervandæ.

Ad ventriculum, ac inteſtina repurganda egregiæ utilitatis.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

PILULÆ DE ALOE LOTA.

℞. Aloes Soccotrinæ Succo Roſarum communium diſſolutæ, deinde inſpiſſatæ — Unciam unam:

Agarici trochiſcati ———— Drachmas tres:

Maſtiches ———— Drachmas duas.

Cum ſufficienti quantitate Syrupi Roſati ſolutivi fiat ſecundum artem Maſſa Pilularis.

Eadem præſtant, quæ Pilulæ de Aloe Roſata: ventriculum, uterum, & alia viſcera a noxiis humoribus liberant.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

PILULÆ ALEPHANGINÆ MESUÆ.

℞. Cinnamomi ———— Uncias duas:

Carpobalſami,
Calami Aromatici,
Radicum Aſari,
Florum Schœnanthi,
Nardi Indicæ,
Cardamomi enucleati,
Caryophyllorum,

Ma-

Mastiches,
Nucis Moschatæ,
Macis,
Ligni Aloes,
Cubebarum,
Rosarum rubrarum,
Summitatum Absinthii, —— ana Unciam unam.

Omnibus mediocriter contusis affunde Aquæ pluviæ Libras duodecim: leniter coque ad consumptionem duarum partium: decoctum fortiter exprime, & in Libris duabus colaturæ dissolve

Aloes Soccotrinæ pluries lotæ cum aqua pluvia, & exsiccatæ — Libram unam.

Agita sub Sole per triduum; deinde superadde, quæ sequuntur, rite pulverisata:

Myrrhæ,
Mastiches, ———— ana Drachmas quinque:
Croci ———————— Drachmas tres.

Residuum primi decocti superfunde, & omnia solaribus radiis rursus exposita, in vase linteo mundo cooperto, ante perfectam exsiccationem redige in Massam, ex qua fiant Pilulæ secundum artem.

Ventriculum purgant simul ac roborant, coctionem juvant, flatus discutiunt: senibus potissimum, ac frigidis conveniunt.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

PILULÆ IMPERIALES.

℞. Cinnamomi ——————— Scrupulos duos:

Amomi enucleati,
Seminum Anisi,
Mastiches,
Cardamomi enucleati,
Zingiberis,
Zedoariæ,
Macis,
Nucis Moschatæ,
Nardi Indicæ,
Caryophyllorum,
Cubebarum,
Croci,
Ligni Aloes,
Turpethi,
Mannæ,
Agarici trochiscati,
Myrobalanorum omnium,
Sennæ Orientalis, ——— ana Scrupulum unum:

Rhabarbari ——————— Unciam unam:

Aloes Soccotrinæ ——————— Uncias duas.

Cum sufficienti quantitate Syrupi Rosati solutivi fiat ex arte Massa Pilularis.

Modice solvunt, stomachum & intestina roborant, affectibus ab inertia humorum, ac frigiditate ortis subveniunt.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

PILULÆ BECHERIANÆ.

℞. Extracti Scordii,
Angelicæ,
Hellebori nigri,
Millefolii,
Rhabarbari,
Aloes, ——— ana Drachmam unam:

Succi concreti Cochleariæ —— Drachmas duas:

Myrrhæ,
Succini,
Radicum Saxifragæ,
Gentianæ, —— ana Scrupulum unum:

Cerussæ Antimonii ——————— Drachmas tres:

Nitri depurati —— Drachmam unam & semis.

Contrita omnia in pulverem, quæ conteri possunt, exacte cum reliquis permisceantur, & cum
Elixir Proprietatis sine acido
— quantitate sufficienti
conficiatur Massa; in pondere vero unius Scrupuli fiant Pilulæ numero xx.

Serosos ac viscidos humores glandulis, & venis mesaraicis impactos resolvunt, attenuant, & blande per alvum subducunt.

DOSIS: numero x, xx, xxx; *idest a Scrupulo uno ad Drachmam dimidiam.*

PILULÆ MELANAGOGÆ
LANCILLOTTI.

℞. Ammoniaci ——————— Uncias quatuor:
Aloes Hepaticæ ——————— Uncias duas:
Rhabarbari ——————— Unciam unam:
Specierum Diarrhodon,
Dia-trion-ſantalon,
— ana Drachmas duas:
Magiſterii Matris Perlarum,
Coralliorum,
Tartari Vitriolati,
— ana Drachmam unam & ſemis.

Diſſolutum Ammoniacum Aceto Scillitico, itemque Aloe Aqua Endiviæ, lento igne inſpiſſentur ad juſtam Extracti conſiſtentiam; admiſtiſque reliquis in pulverem ſubtiliter contritis, & cum ſucco Limonum rite ſubactis, fiat ſecundum artem Maſſa; ex Maſſa vero formentur Pilulæ, ſingulæ ponderis Granorum xii.

Quotidiano uſu renes, & lienem a craſſis ac tartareis recrementis expurgant: melancholicis, hypochondriacis, & podagricis inſigniter utiles prædicantur.

DOSIS: una & altera ſingulis diebus, per epicraſim.

Ex Rhabarbaro, aliiſque ſpeciebus Extractum eliciebat Lancillottus: ſimplicior ratio, quam dedimus, longo apud nos uſu recepta.

PILULÆ DE AMMONIACO
QUERCETANI.

℞. Extracti Aloes ——————— Uncias quatuor:
Ammoniaci Aceto Scillitico dissoluti,
Myrrhæ, ——————— ana Unciam semis:
Mastiches,
Specierum Dia-trion-santalon,
— ana Drachmam unam & semis:
Croci ——————— Scrupulos duos:
Salis Absinthii ——————— Scrupulos quatuor.

Pulverisatis omnibus pulverisandis, cum sufficienti quantitate Syrupi Rosati solutivi fiat Massa Pilularis ex lege artis.

Citra dolorem, aut perturbationem purgant: adversus cachexiam, lienem induratum, febrem quartanam, morbosque alios contumaciores præsidio sunt.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

PILULÆ DE AMMONIACO
DEOBSTRUENTES.

℞. Ammoniaci Aceto Scillitico soluti
— Unciam unam:
Aloes Soccotrinæ ——————— Unciam semis:

Myrrhæ,
Benzoini, ——————— ana Drachmas duas:
Croci, ——————————— Drachmam unam:
Florum Salis Ammoniaci Martialium
— Drachmas duas & semis.

Cum sufficienti quantitate Syrupi Rosati solutivi ex lege artis fiat Massa.

Alvum vix movent, obstructiones solvunt; ita ad morbos ab infarctu viscerum productos exhibentur non sine successu.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

PILULÆ TARTAREÆ
BONTII.

℞. Ammoniaci ————— Unciam unam & semis:
Aloes Soccotrinæ ——————— Drachmas tres:
Tartari Vitriolati ————— Drachmam semis:
Oxymelitis Scillitici ——— quantum satis est.
Fiat Massa Pilularis secundum artem.

Visceribus obstructis conveniunt, ad morbos inde progenitos egregiæ utilitatis.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

PI-

PILULÆ HYDROPICÆ
BONTII.

℞. Aloes Soccotrinæ ——— Uncias duas & ſemis:
Gummi-Guttæ Vino Malvatico diſſolutæ, & ſiccatæ — Unciam unam & ſemis:
Diacrydii eodem modo præparati — Unciam unam:
Ammoniaci ——— Unciam unam & ſemis:
Tartari Vitriolati ——— Unciam ſemis.

Cum ſufficienti quantitate Syrupi Roſati ſolutivi fiat ex arte Maſſa Pilularis.

Uſus ex nomine eſt manifeſtus: purgant ſatis vehementer.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Scrupulum unum.

PILULÆ MARTIALES
LEMERY.

℞. Aloes Soccotrinæ ——— Unciam unam:
Croci Martis aperitivi ——— Drachmas ſex:
Diacrydii,
Ammoniaci, ——— ana Unciam ſemis:
Croci,
Tartari Vitriolati, — ana Drachmam unam & ſemis:

Cum ſufficienti quantitate Oxymelitis Scillitici fiat ſecundum artem Maſſa Pilularis.

Ad viſcerum oppilationes, hydropem, cachexiam, & menſium ſuppreſſionem utiles habentur.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

PILULÆ MERCURIALES
Codicis Parisiensis.

℞. Rhabarbari,
Diacrydii,
Trochiſcorum Alhandal, —— ana Unciam unam:
Mercurii puriſſimi —————— Uncias duas:
Terebinthinæ Venetæ ———— Unciam unam.

Agitetur Mercurius in mortariolo vitreo cum Terebinthina; donec prorſus extinguatur: inſpergantur ſenſim reliqua, ut decet, pulveriſata, convenienti addita portione Syrupi de Terebinthina; ſimulque exacte commiſtis omnibus, fiat ex lege artis Maſſa Pilularis.

Ad luem veneream, ejuſque ſymptomata.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam dimidiam.

PILULÆ PAREGORICÆ.

PILULÆ DE CYNOGLOSSA
NICOLAI SALERNITANI.

℞. Opii,
Radicum Cynogloſſæ,
Seminum Hyoſcyami albi,
Cinnamomi, ——————— ana Unciam ſemis:
Myrrhæ ————————— Drachmas ſex:
Thuris ————————— Drachmas quinque:
Styracis,
Caryophyllorum, ———— ana Drachmas duas.

Cum ſufficienti quantitate Syrupi de Succo Violarum ſecundum artem fiat Maſſa.

Somnum conciliant, dolores ſedant, tenueſque defluxiones ſiſtunt.

DOSIS a Granis duobus ad Grana quinque.

PILULÆ AD SPUTUM SANGUINIS
DECKERS.

℞. Maſſæ Pilularum de Cynogloſſa
— Drachmam unam:
Laudani Nepenthes Quercetani —— Grana tria:
Cro-

Croci ——————————— Scrupulum unum;

Succi Glycyrrhizæ Aqua Hyſſopi diſſoluti, & condenſati ad melleam conſiſtentiam — Drachmas duas.

Omnibus exacte ſimul permiſtis fiat Maſſa, & ex Maſſa Pilulæ numero xxx.

una pilula gr: viij

Uſus a titulo indicatur.

DOSIS: numero I, II, *vel* III.

PILULÆ AD TUSSIM

SCHRODERI.

℞. Opii,
Croci,
Myrrhæ, ——————— ana Scrupulum unum:
Thuris,
Succi Glycyrrhizæ, —— ana Drachmam unam.

Adhibita ſufficienti quantitate Syrupi de Papavere Rhœade fiat ex arte Maſſa Pilularis.

Tuſſi a tenui potiſſimum & acri humore productæ levamen afferunt.

DOSIS a Granis ſeptem ad Grana duodecim.

PILULÆ DE STYRACE.

℞. Lacrymæ Styracis ———— Drachmas novem:
Myrrhæ,
Opii, ———— ana Drachmas quatuor.

Myrrha, & Opio in pulverem redactis, ſubigatur ſtyrax cum modica quantitate Sapæ, donec molleſcat: exinde, ut artis eſt, fiat Maſſa.

Tuſſim demulcent, dolores ſedant, ſomnum conciliant: hæmoptyicis vel maxime opem ferunt.

DOSIS a Granis tribus ad Grana quinque.

PILULÆ HYSTERICÆ OPIATÆ.

℞. Aſæ fœtidæ,
Myrrhæ,
Galbani,
Bdellii, ———— ana Drachmam unam:
Caſtorei,
Cryſtalli Montanæ præparatæ,
Fæculæ Radicis Bryoniæ, — ana Scrupulum unum:
Laudani Nepenthes Quercetani
— Drachmam ſemis.

Lacrymis in Aqua Hyſterica Quercetani maceratis, donec molleſcant, pulveriſatis reliquis, cum tan-
tillo

tillo Syrupi de Artemiſia fiat ſecundum artem Maſſa Pilularis.

Adverſus uteri ſuffocationes non parum efficaces habentur.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam dimidiam.


PILULÆ HYSTERICÆ
JOSEPHI *DEL PAPA.*

℞. Caſtorei Moſcovitici ——— Unciam unam:
Succini flavi ——— Unciam ſemis.

Pulveriſato Caſtoreo pariter & Succino, cum ſufficienti quantitate Succi Concreti Matricariæ, ex lege artis fiat Maſſa.

Ad hyſtericas affectiones, etiam pertinaciores, utiliſſimæ.

DOSIS a Granis XII. *ad Grana* XVIII.



SE-

SECTIO III.

QUÆ EST

DE

TROCHISCIS.

TROCHISCI ALTERANTES.

TROCHISCI HEDYCHROI

EX DESCRIPTIONE GALENI.

℞. Summitatum Majoranæ,
Mari Cretici,
Radicum Asari,
Aspalathi, ——————— ana Drachmas duas:

Calami Aromatici,
Schœnanthi,
Costi,
Radicum Valerianæ,
Xylobalsami,
Opobalsami,
Cinnamomi, ——————— ana Drachmas tres:

Malabathri,
Nardi Indicæ,

Cro-

Croci Orientalis,
Casiæ Ligneæ,
Myrrhæ, ——————— ana Drachmas sex:

Amomi enucleati —— Unciam unam & semis:

Mastiches ——————— Drachmam unam.

Contrita omnia subtiliter in pulverem, ac rite permista subige cum sufficienti quantitate Vini Malvatici; & fiant Trochisci sive Pastilli in umbra siccandi, & custodiendi.

Pro compositione Theriacæ.

TROCHISCI CYPHEOS

EX DESCRIPTIONE GALENI.

℞. Terebinthinæ Cypriæ ad soliditatem excoctæ,
Pulpæ Passularum majorum, idest Zibebarum,
— ana Uncias tres:
Schœnanthi,
Myrrhæ, ———— ana Unciam unam & semis:

Bdellii,
Casiæ Ligneæ,
Baccarum Juniperi,
Radicum Cyperi Orientalis,
Nardi Indicæ, ———— ana Drachmas tres:

Croci ——————— Drachmam unam:

Cinnamomi ——————— Unciam unam:

Aspalathi ———— Drachmas duas & semis:

Mel-

Mellis albi,
Vini Malvatici, ——— ana quantum sufficit.

Pulverisatis pulverisandis, Myrrha & Bdellio in portione Vini dissolutis, mistisque simul omnibus, fiant secundum artem Trochisci.

Ad præparationem Mithridatii.

TROCHISCI DIARRHODON

MESUÆ.

℞. Glycyrrhizæ —— Drachmas quatuor & semis:
Nardi Indicæ,
Ligni Aloes, ———— ana Drachmas tres:
Mastiches ———— Drachmas duas:
Rosarum rubrarum,
Spodii ex Ebore, — ana Drachmam unam & semis:
Croci ———— Scrupulos duos & semis:
Vini Malvatici ———— quantum satis.

Mastiche in Vino dissoluta, pulverisatis reliquis, ac simul exacte commistis, fiant ex lege artis Trochisci.

Usus in febribus diuturnis, & ventriculi imbecillitate.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas duas.

TROCHISCI DE ALKEKENGI

MESUÆ.

℞. Fructuum Alkekengi ——— Drachmas tres:

Seminum enucleatorum Citrulli,
Cucumeris,
Cucurbitæ,
— ana Drachmas tres & ſemis:

Papaveris albi,
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Thuris,
Nucleorum mundatorum Amygdalarum amararum,
Pineorum,
Boli Armenæ,
Sanguinis Draconis,
Amyli Triticei,
Succi Glycyrrhizæ, ——— ana Drachmas ſex:

Seminum Apii,
Hyoſcyami albi,
Succini,
Terræ Sigillatæ,
Opii, ——— ana Drachmas duas.

Nucleos, ac ſemina oleoſa ſeparatim contunde, reliqua in pulverem redige; ſimulque omnibus rite permiſtis, cum ſufficienti quantitate Syrupi de Althæa, fiant ſecundum artem Trochiſci.

In

In iſchuria, mictu cruento, itemque in renum ac veſicæ exulcerationibus, ad leniendum dolorem, commendantur.

DOSIS a Scrupulis duobus ad Drachmam unam.

TROCHISCI AD URINÆ ARDOREM

GORDONII.

℞. Seminum quatuor frigidorum majorum,
Papaveris albi,
Malvæ,
Bombacis,
Portulacæ,
Cydoniorum,
Baccarum Myrti,
Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Amygdalarum dulcium,
Piſtaciorum,
Nucl. Pineorum,
Glycyrrhizæ,
Hordei mundi, ——— ana Unciam unam:

Boli Armenæ,
Sanguinis Draconis,
Spodii ex Ebore,
Roſarum rubrarum,
Myrrhæ, ——— ana Unciam ſemis:

Sacchari candidi ——— Unciam unam.

Pulveriſatis pulveriſandis, nucleis vero & ſeminibus oleoſis ſeorſum contuſis, ac per ſetaceum trajectis, cum

Muci-

Mucilaginis Seminum Psyllii ——— Uncia una,
Hydromelitis ———— quantitate sufficienti,
fiant ex lege artis Trochisci.

Usus ab inscriptione est manifestus.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas duas.

TROCHISCI DE KARABE
MESUÆ.

℞. Karabes, idest Succini ——— Drachmas novem:
Succi concreti Acaciæ,
Hypocistidis,
Masticbes,
Laccæ,
Tragacanthi,
Gummi Arabici ustulati,
Balaustiorum,
Cornu Cervi usti,
Seminum Papaveris nigri,
Coralliorum rubrorum præparatorum,
— ana Drachmas tres:
Thuris,
Opii,
Croci, — ana Drachmas duas, & Scrupulum unum.

Cum sufficienti quantitate Mucilaginis Seminum Psyllii fiant secundum artem Trochisci.

Dysenteriæ, hæmoptysi, aliisque sanguinis eruptionibus subveniunt.

DOSIS a Scrupulis duobus ad Drachmam unam.

TRO-

TROCHISCI DE MYRRHA
RHASIS.

℞. Myrrhæ ————————— Drachmas tres:

Lupinorum ———————— Drachmas quinque:

Radicum Rubiæ Tinctorum,
Summitatum Dictamni Cretici,
Rutæ,
Menthaſtri,
Seminum Cumini,
Sagapeni,
Opopanacis,
Aſæ fœtidæ, ———————— ana Drachmas duas.

Pulveriſatis pulveriſandis, reliqua diſſolve in Succi Artemiſiæ ſufficienti quantitate; ac ſimul omnibus rite permiſtis, fiant ſecundum artem Trochiſci.

Ad menſes provocandos uſurpantur.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas duas.

TROCHISCI DE VIPERA
EX DESCRIPTIONE GALENI.

℞. Carnis Viperinæ cum Anetho & Sale in Aqua pluvia decoctæ, & a ſpinis mundatæ — Uncias octo:

Panis Triticei albiſſimi biſcocti — Uncias duas:

Con-

Contundatur Caro Viperina in pila marmorea, & sensim inspergatur Panis optime tritus, & per subtile cribrum trajectus; affundendo decocti Viperarum quantitatem sufficientem, ut fiat massa, ex qua secundum artem formentur Trochisci in umbra siccandi, & Opobalsamo, aut Oleo Nucis Moschatæ inungendi.

Usus olim commendatissimus in malignis febribus, & cutaneis morbis. Ad compositionem Theriacæ potissimum celebrati sunt.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam dimidiam.

TROCHISCI SCILLITICI

EX DESCRIPTIONE GALENI.

℞. Scillæ assatæ, & ad mollitiem coctæ, dein contusæ — Libram unam:

Farinæ Orobi cribratæ ———— Uncias octo.

Subigantur omnia simul ad perfectam mistionem, & fiat massa sive pasta supra tabulam ligneo cylindro tenuanda, & in Trochiscos justæ latitudinis scindenda.

Theriacæ conficiendæ destinari solent: affectibus etiam frigidis capitis, thoracis, & ventriculi opem ferunt.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

TRO-

TROCHISCI
SIVE
TRAGEA GRANORUM ACTES
QUERCETANI.

℞. Baccarum Sambuci ———— quantum placet.

Expreſſo ſucco, & percolato, cum Farinæ Secalinæ ſufficienti quantitate conficiatur maſſa ſive paſta; ex ipſa vero elaborentur exigui Panes ſeu Trochiſci, qui in furno ad biſcocti duritiem coquantur, ut in pulverem tenuiſſimum redigi poſſint. Pulvis cum recenti ſucco in paſtam ſubigatur, ex qua rurſus formentur Trochiſci in furno coquendi. Tertia vice opus repetatur, & Trochiſci ita parati ad uſum ſerventur.

Pro ſpecifico habentur in dyſenteria.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

Trageæ nomen Trochiſcis in pulverem ſubtiliſſimum redactis proprie tribuitur.



TROCHISCI PURGANTES.

TROCHISCI DE AGARICO MESUÆ
SIVE
AGARICUM TROCHISCATUM.

℞. Agarici albissimi ——————— Uncias tres:
Salis Gemmei ——————— Unciam semis:
Zingiberis ——————— Drachmas tres.

Pulverisatis omnibus & commistis, cum sufficienti quantitate Mucilaginis Tragacanthi, fiant secundum artem Trochisci.

Humores pituitosos educunt, ac vermes necant. In medicamenta composita loco Agarici simplicis recipiuntur.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

TROCHISCI ALHANDAL
MESUÆ.

℞. Pulpæ Colocynthidos mundæ a granis
— Uncias quinque.

Incidatur minutissime, & fricetur cum
Olei Amygdalarum dulcium ——— Uncia semis,

donec Oleum totum a Pulpa combibatur: hoc facto sume

Tra-

Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Bdellii, ——————————— ana Drachmas ſex.

Diſſolvantur in Aquæ Roſarum ſufficienti quantitate, ut fiat Mucilago; cujus portio affundatur Pulpæ ſupradictæ in vaſe terreo vitreato: maſſa rite ſubacta, & in hypocauſto leniter ſiccata ſubtiliter pulveriſetur. Addita Mucilaginis reliqua portione, fiant Paſtilli ſive Trochiſci ſiccandi, ac reponendi.

Purgant vehementer, & in antiquis capitis doloribus, epilepſia, arthritide, aliiſque contumacioribus affectibus uſui ſunt. Compoſitis, veteri inſtituto, pro Colocynthide ſimplici admiſcentur.

DOSIS a Granis tribus ad Grana decem.

DIACRYDIUM CYDONIATUM.

℞. Scammonii Alepenſis pulveriſati
— Uncias quatuor:

Succi Cydoniorum ——————— Uncias duas.

Miſce, & agita quotidie in calido loco, dum maſſa juſtam ſoliditatem acquirat. Poſtea ſupra marmor Oleo Amygdalino inunctum maſſam extende, & in Paſtillos ſive Trochiſcos divide, Sigillo Protomedicatus imprimendos. Poteſt etiam prædicta maſſa ad lentum ignem in ſartagine figulina vitreata condenſari.

Scammonium hac ratione præparatum, longe ſecurius quam ſimplex, ad purgandum exhibetur.

DOSIS a Granis decem ad Grana quindecim.

TROCHISCI AD USUM EXTERNUM.

TROCHISCI DE MINIO.

℞. Mercurii Sublimati ——— Drachmam unam:
Minii ——— Drachmam ſemis;
Medullæ Panis albiſſimi bene fermentati — Unciam ſemis.

Tere omnia ſimul, ac permiſce; & cum ſufficienti quantitate Aquæ Roſarum fiant ſecundum artem Trochiſci longiuſculi, in clibano tepente ſiccandi.

Ad ſordida & calloſa ulcera mundificanda.

SIEF SIVE COLLYRIUM ALBUM
ALIAS
TROCHISCI ALBI RHASIS.

℞. Ceruſſæ lotæ ——— Drachmas decem:
Sarcocollæ ——— Drachmas tres:
Tragacanthi ——— Drachmam unam.

Cum Aquæ Roſarum ſufficienti quantitate fiant ſecundum artem Paſtilli lenticulares.

Uſus in lippitudine, & oculorum ulcuſculis.

Erit

Erit Sief ſive Collyrium album cum Opio, quale ab Auctore deſcribitur, ſi ad cetera addideris
Opii ——————— Drachmam ſemis.

Sic parato utere ad expreſſum Medici præſcriptum.

SIEF ALBUM CUM TUTIA
SIVE
COLLYRIUM TRYPHERON GALENI.

℞. Tutiæ præparatæ ——————— Uncias duas:
Ceruſſæ lotæ ——————— Unciam unam:
Tragacanthi,
Amyli Triticei, ——————— ana Unciam ſemis.

Cum Aqua Plantaginis fiant Paſtilli longiuſculi.

Ad oculorum ardorem, & puſtulas confert; iis præcipue, qui nullam mordacitatem ferre poſſunt.

Paratur cum Opio, additis
Opii ——————— Drachmis duabus:

& eſt nomine Sief Albi uſitatius apud nos, quam Collyrium Album Rhaſis.

SECTIO IV.

QUÆ EST

DE

SPECIEBUS AC PULVERIBUS.

SPECIES ALTERANTES.

SPECIES AROMATICI ROSATI MESUÆ.

℞. Roſarum rubrarum —— Drachmas quindecim:
Cinnamomi —————— Drachmas decem:
Glycyrrhizæ —————— Drachmas ſeptem:
Ligni Aloes,
Santali Citrini, —— ana Drachmas tres:
Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Caryophyllorum,
Macis, ———— ana Drachmas duas & ſemis:
Nardi Indicæ —————— Drachmas duas:
Cardamomi enucleati,

Nu-

Nucis Moſchatæ,
Galangæ, ——————— ana Drachmam unam. gr: vi

Pulveriſentur omnia ſubtiliſſime, & in vaſe vitreo bene obturato reponantur, ut ceteræ Species, quæ ad tempus ſervari poſſunt.

Cor, ac ventriculum roborant, appetitum excitant, putredinem avertunt.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

Ex his Speciebus, uti etiam ex aliis infra recenſendis, addita Syrupi alicujus convenienti portione, Electuaria, ſive Confectiones molles, quandocumque libeat, parare poteris.

SPECIES CORDIALES PRO CIBO.

℞. Coralliorum præparatorum rubrorum,
alborum,
Terræ Lemniæ, ——————— ana Unciam ſemis:

Margaritarum præparatarum — Drachmas duas:

Raſuræ Eboris,
Cornu Cervi uſti,
Santali Citrini,
Spodii ex Ebore,
Roſarum rubrarum,
Seminum Acetoſæ,
Coriandri, — ana Drachmam unam:

Fragmentorum quinque Pretioſorum,
— ana Drachmam ſemis:

Sac-

Sacchari albiſſimi ——— ad Pondus omnium.

Fiant ſecundum artem Species ſubtiles, quibus admiſce

Folia Auri puriſſimi —— Numero quadraginta: & ſic paratas in uſum ſerva.

Cor roborant, ſpiritus reficiunt.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

Poſſunt etiam, ac ſolent ſine Auro & Gemmis componi.

SPECIES DIARRHODON
MESUÆ.

℞. Trochiſcorum Diarrhodon,
Maſtiches, ———— ana Drachmas tres:

Succini,
Ligni Aloes,
Summitatum Menthæ,
— ana Drachmas duas & ſemis:

Macis ———— Drachmas duas.

Fiant ſecundum artem Species, ut decet, ſervandæ.

Intemperiem frigidam ventriculi corrigunt.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

SPECIES DIAMARGARITON FRIGIDI.

℞. Margaritarum præparatarum —— Drachmas tres:
Coralliorum præparatorum alborum,
rubrorum,
— ana Drachmam ſemis:
Ligni Aloes,
Santali Citrini,
Zingiberis,
Baccarum Myrti,
Roſarum rubrarum,
Florum Nymphææ,
Borraginis,
Seminum Citrulli,
Cucurbitæ,
Cucumeris,
Melonum,
Papaveris albi,
Portulacæ, —— ana Drachmam unam.

Fiant Species ex lege artis; quæ ſi fuerint ad tempus ſervandæ, ſine oleoſis ſeminibus parentur; ſemina vero, quotieſcumque uſus venerit, miſceantur justa proportione.

Ad lipothymiam, ſyncopem, ac reliquos animi defectus, ſive a corde, ſive a ventriculo.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmas duas.

SPECIES DIA-TRION-SANTALON
Nicolai Salernitani.

℞. Santalorum omnium,
Rosarum rubrarum, ——— ana Drachmas tres:

Rhabarbari,
Spodii ex Ebore,
Succi Glycyrrhizæ,
— ana Drachmas duas & semis:

Violarum ——————— Unciam semis:

Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Amyli Triticei,
Seminum quatuor frigidorum majorum,
Portulacæ,
Scariolæ,
— ana Drachmam unam & semis:

Camphoræ ——————— Scrupulum unum.

Fiant Species secundum artem; quæ nisi statim adhibendæ fuerint, circa semina oleosa eadem servetur regula, quæ in Speciebus Diamargariton Frigidi.

In febribus acutis internas æstuationes compescunt, ictericis & tabidis conferunt, humores a putredine defendunt.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmas duas.

SPECIES DIATRAGACANTHI FRIGIDI
Nicolai Salernitani.

℞. Tragacanthi, ——————— Uncias duas:
Gummi Arabici ————— Drachmas decem:
Amyli Triticei ——————— Unciam ſemis:
Glycyrrhizæ,
Seminum quatuor frigidorum majorum,
— ana Drachmas duas:
Papaveris albi,
Urticæ, ———— ana Drachmas tres:
Florum Nymphææ ———— Drachmam unam:
Penidiorum ——————— Uncias tres.

Fiant Species ſecundum artem. Semina oleoſa ne miſceantur, niſi uſus tempore, ut in Speciebus Diamargariton Frigidi.

Peripneumonia, pleuritide, hæmoptyſi, & faucium exaſperatione laborantibus ſuccurrunt.

DOSIS a Drachma una ad Unciam dimidiam.

Erunt Species Diatragacanthi Frigidi cum Bolo, ſi pro ſingulis Libris addas
Boli Armenæ Orientalis ſubtiliter pulveriſatæ
— Unciam unam & ſemis.

Ob vim adſtringentem, ad ſanguinis ſputum efficaciores ſunt, quam ſimplices.

SPECIES DIAIREOS.

℞. Ireos Florentinæ ſubtiliter pulveriſatæ
— Unciam ſemis:

Specierum Diatragacanthi Frigidi,
Sacchari albiſſimi, ——— ana Drachmas tres.

Miſce.

Aſthmate, raucedine, ac tuſſi male affectis opitulantur.

DOSIS a Drachma una ad Unciam dimidiam.

PULVIS ANTIPHTHISICUS
HALY.

℞. Gummi Arabici,
Spodii ex Ebore,
Amyli Triticei,
Succi Glycyrrhizæ,
Tragacanthi, ——— ana Drachmas tres:

Seminum Papaveris albi —— Drachmas decem:

Portulacæ,
Althææ,
Malvæ, —— ana Drachmas quinque:

Cucurbitæ,
Citrulli,
Cucumeris,
Cydoniorum, — ana Drachmas ſeptem:

Peni-

Penidiorum, vel Sacchari albissimi
— ad Pondus omnium.

Tere omnia diligenter, & fiat Pulvis, singulis vicibus, quibus præscriptus occurrit, parandus.

Tussim mitigat: incrassandi quoque, & pulmonum ulcuscula consolidandi vim obtinet.
DOSIS a Drachma una ad Unciam dimidiam.

PULVIS ANTIPHTHISICUS
DECKERS.

℞. Gummi Arabici,
Amyli Triticei,
Tragacanthi, ———— ana Drachmas duas:

Stibii Diaphoretici — Drachmam unam & semis:

Ireos Florentinæ,
Croci,
Magisterii Coralliorum,
Florum Sulphuris, —— ana Drachmam unam:

Seminum Portulacæ,
Melonum, —— ana Drachmas tres:

Papaveris albi —— Unciam semis:

Sacchari Rosati sicci ———— Unciam unam.

Fiat Pulvis; qui tamen, adjunctis seminibus oleosis, ad breve tempus durat.

Tussi a materie tenui & acri provenienti, in phthisi nondum confirmata, solatium affert.
DOSIS a Drachma una ad Drachmas duas.

PUL-

PULVIS MITIGANS
WEPFERI.

℞. Radicum Althææ ——————— Unciam unam:
Glycyrrhizæ,
Farinæ Hordei,
Boli Armenæ,
Penidiorum, ——————— ana Unciam ſemis:
Seminum Portulacæ,
Papaveris albi,
Bombacis, ——— ana Drachmas duas:
Gummi Arabici,
Tragacanthi, ——————— ana Drachmam unam.

Terantur omnia, & fiat Pulvis.

Humorum acrimoniam obtundit, tuſſim demulcet.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas duas.

FERCULUM SAXONIÆ.

℞. Farinæ Hordei ——————— Libras tres:
Sacchari albiſſimi ——————— Libram unam:
Amygdalarum dulcium mundatarum —
Uncias quatuor.

Terantur Amygdalæ diligenter cum parte farinæ: tritis admiſceatur reliqua farina, una cum ſaccharo: indantur omnia in ollulam novam vitreatam, operculo impoſito, & recenti paſta agglutinato. Immittatur ollu-

ollula in furnum, quo tempore, eductis panibus, caloris vehementia remittere, ac minui cœperit: maneat ibi per horæ quadrantem & ultra; donec pasta operculo circumdata, penitus cocta appareat. Erit massa ollulæ inclusa, decenter tosta, subflavi coloris, Ferculum dictum Saxoniæ; quæ si albidam adhuc se ostenderit, nova immissione in furnum, atque iterata torrefactione opus erit.

Ad emaciatos tabidosque nutriendos, & confirmandos plurimum usurpatur.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Uncias duas.

Variata interdum proportione Sacchari ad farinam, conficitur Ferculum, pro medentium arbitrio; additis Chinæ, aut Sarsæ parillæ radicibus subtiliter pulverisatis, ad pondus fere unius unciæ pro singulis Libris, peracta torrefactione. Æqualem Sacchari, & Farinæ portionem adhibebat Saxonia, quod est præter consuetudinem nostrorum temporum.

PULVIS ANTIPLEURITICUS.

℞. Sanguinis Hircini ——————— Unciam unam:

Pulveris Viperini,
Mandibularum Lucii,
Rasuræ Eboris,
Dentis Aprini,
Stibii Diaphoretici,
Florum Papaveris Rhœados, — ana Unciam semis.

Fiat Pulvis ex omnibus.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

PUL-

PULVIS ABSORBENS
WEDELII.

℞. Stibii Diaphoretici,
Coralliorum rubrorum,
Matris Perlarum,
Cinnabaris nativæ,
Oculorum Cancrorum, —— ana Drachmas duas:

Vitrioli Martis ———————— Scrupulum unum:

Extracti Opii ————————— Grana duodecim.

Præparatis præparandis ſupra porphyritem lapidem, omnia ſimul terantur in mortariolo vitreo, & fiat Pulvis ad uſum ſervandus.

Valet ad hypochondriacum morbum, lipothymiam, palpitationem cordis, febres item mali moris cum vigiliis.

DOSIS a Granis quatuor ad Grana duodecim.

PULVIS BEZOARTICUS.

℞. Cornu Cervi philoſophice præparati,
Oculorum Cancrorum, — ana Drachmam unam:

Coralliorum rubrorum,
Matris Perlarum,
Cinnabaris Antimonii, — ana Drachmam ſemis:

Stibii Diaphoretici,
Contrayervæ, ———————— ana Drachmas duas.

Præ-

Præmiſſa, quibus opus eſt, præparatione ſupra porphyritem, fiat ex omnibus Pulvis ſubtiliſſimus.

Uſus in febribus pernicioſis.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

PULVIS STOMACHICUS
QUERCETANI.

℞. Radicum Ari verno tempore collectarum
— quantum placet.

Secentur in taleolas, & macerentur in Vino albo per horas XXIV. in loco frigido: iteretur maceratio in novo Vino per horas XII. ſiccentur Radices in furno. His peractis ſume
Radicum Ari ſic præparatarum — Uncias duas:
Acori,
Pimpinellæ, — ana Unciam unam:
Oculorum Cancrorum — Unciam ſemis:
Cinnamomi — Drachmas tres:
Salis fixi Abſinthii,
Juniperi, — ana Drachmam unam:
Sacchari Roſati ſicci — ad Pondus omnium.

Fiat Pulvis ex arte.

Stomachi vitiis a cruditate remedio eſt: etiam ad capitis affectus, vertiginem, melancholiam hypochondriacam, ad calculum item, & febres quartanas commendatur.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

PULVIS CACHECTICUS QUERCETANI.

℞. Limaturæ Martis præparatæ —— Unciam unam:

Fæculæ Radicis Ari — Drachmam unam & ſemis:

Magiſterii Coralliorum,
Margaritarum, — ana Drachmas duas:

Succini,
Cinnamomi, ———— ana Scrupulos quatuor:

Sacchari albiſſimi ———— Unciam unam.

Fiat Pulvis ex omnibus.

Febri albæ virginum, ac menſium ſuppreſſioni medetur.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

PULVIS CACHECTICUS CHESNEAU.

℞. Croci Martis aperitivi ——— Drachmam unam:

Cinnamomi ———— Drachmas duas:

Sacchari albiſſimi ———— Drachmas tres.

Fiat Pulvis ex arte.

Idem uſus, qui ſupra deſcripti.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

PUL-

PULVIS AD MENSIUM SUPPRESSIONEM PRÆVOTII.

℞. Boracis nativæ ——————— Drachmam unam:
Cinnamomi,
Radicum Ariſtolochiæ rotundæ,
Summitatum Sabinæ,
Dictamni Cretici,
— ana Scrupulum unum:
Sacchari albiſſimi ——————— Drachmas duas.
Fiat Pulvis ex omnibus.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

SPECIES DIACYMINI NICOLAI SALERNITANI.

℞. Cumini Aceto macerati ——— Unciam unam:
Cinnamomi ——————— Drachmas quinque:
Summitatum Saturejæ,
Calaminthæ montanæ,
Galangæ,
Zingiberis,
Piperis nigri, ——— ana Scrupulos quinque:
Seminum Ammeos,
Leviſtici, —— ana Scrupulos quatuor:

Piperis longi,
Nardi Indicæ,
Nucis Moſchatæ, — ana Scrupulos duos & ſemis:
Caryophyllorum ——— Drachmas duas & ſemis:

Pulveriſatis omnibus, fiant Species.

Ventriculi inflationi ſuccurrunt, coctionem juvant: ad hyſtericas paſſiones, & quartanas febres utiles habentur.

DOSIS a Scrupulo uno ad Scrupulos duos.

PULVIS ANTISEPTICUS
JOANNIS HUXAM.

℞. Chinæ-Chinæ electæ ——— Uncias duas:
Flavedinis Aurantiorum Portugallenſium — Unciam unam & ſemis:
Serpentariæ Virginianæ ——— Drachmas tres:
Croci ——— Scrupulos quatuor:
Coccinellæ ——— Scrupulos duos.

Ex omnibus fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

Ad febres putridas, peſtilentiales, ac petechiales egregie utilis.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

SPECIFICUM ANTIFEBRILE.
MORTON.

℞. Florum Chamæmeli ——— Drachmam unam;
Stibii Diaphoretici ——— Drachmam semis:
Salis Absinthii ——— Scrupulum unum.
Fiat Pulvis ex omnibus.

Adversus febres intermittentes præsidio est.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas duas.

PULVIS MARCHIONIS SIVE EPILEPTICUS.

℞. Radicum Pæoniæ ——— Unciam semis:
Ligni Visci Quercini,
Rasuræ Eboris,
Ungulæ Alcis,
Cornu Cervi ex apicibus desumptæ,
Spodii ex Ebore,
Coralliorum rubrorum,
alborum, — ana Drachmam unam:
Cranii Humani ——— Drachmas duas.
Subtiliter pulverisatis misce
Folia Auri ——— Numero decem.

Ad Epilepsiam a dentitione, & alia Infantium mala ab eadem causa.

DOSIS a Granis x. *ad Grana* xxxx.

PUL-

PULVIS DE GUTTETA
Riverii.

℞. Radicum Dictamni albi,
Pæoniæ,
Seminum ejuſdem,
Ligni Viſci Quercini, —— ana Unciam ſemis:
Seminum Atriplicis ———— Drachmas duas:
Cranii Humani ———— Drachmas tres:
Fragmentorum Hyacinthi,
Coralliorum rubrorum,
— ana Drachmam unam & ſemis:
Ungulæ Alcis ———— Unciam ſemis:
Folia Auri ———— Numero viginti:

Fiat Pulvis ex omnibus.

Ad epilepſiæ, præſertim infantilis, curationem.

DOSIS: Infantibus a Scrupulo dimidio ad Scrupulum unum. Adultis a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

SPECIES DIAJOVIS
Mynsicht.

℞. Fæculæ radicis Bryoniæ ———— Unciam ſemis:
Salis Jovis, ideſt Stanni Anglici,
Matris Perlarum,
Coralliorum rubrorum, —— ana Drachmas tres:

Radi-

Radicum Pæoniæ,
Dictamni albi, — ana Drachmas duas:

Succini,
Croci Orientalis,
Ligni Visci Quercini,
Anthophyliorum, vel eorum loco Caryophyllorum, — ana Drachmam unam:

Castorei ——————————— Scrupulum unum.

Fiat ex omnibus Pulvis subtilissimus.

Ad contumacissimam uteri suffocationem utiles prædicantur.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam dimidiam.

PULVIS HANNOVERIANUS.

℞. Cinnabaris nativæ præparatæ,
Sacchari purissimi in conis — ana Drachmas sex:

Olei Cinnamomi ——————————— Guttas sex:

Folia Auri ——————————— Numero quatuor.

Misceantur exacte subtiliter trita, & Pulvis rite cumolitus in usum servetur.

Cerebri ac nervorum affectibus conducit: diaphoreticis etiam, & cardiacis accensetur.

DOSIS a Granis quatuor ad Grana triginta.

PULVIS AD ABORTUS PRÆCAUTIONEM CRATONIS.

℞. Radicum Biſtortæ ——— Scrupulum unum:
Granorum Kermes, vel eorum loco Coccinellæ,
Seminum Plantaginis, — ana Drachmam ſemis:
Coriandrorum ——— Scrupulos duos:
Sacchari albiſſimi ——— ad Pondus omnium.

Terantur omnia ſubtiliter, & fiat Pulvis.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

PULVIS AD URINÆ INCC

℞. Membranæ internæ Ventriculi Gallinacei præparatæ — Unciam ſemis:
Cineris Ericii ——— Drachmas tres:
Seminum Eupatorii ——— Unciam unam.

Fiat Pulvis ex omnibus.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

SPECIES ADSTRICTIVÆ.

℞. Boli Armenæ Orientalis ———— Uncias ſex:
Baccarum Myrti ———— Uncias tres:
Sanguinis Draconis ———— Uncias duas:
Balauſtiorum,
Roſarum rubrarum, ——— ana Unciam unam:
Maſtiches,
Thuris, ———— ana Unciam ſemis.

Fiant Species ex arte.

Ad ſanguinem undecumque manantem comprimendum.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas duas.

SPECIES DIAPENTES.

℞. Radicum Gentiana
Ariſtoloc
Baccarum Lauri,
Summitatum Cent
Myrrhæ, ———— ana Partes Æquales.

Secundum artem fiant Species.

Conveniunt cum Theriaca Diateſſaron, ac in eoſdem uſus adhibentur.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

SPECIES PURGANTES.

SPECIES HIERÆ PICRÆ SIMPLICIS GALENI.

℞. Aloes Soccotrinæ
— Uncias undecim, & Drachmas duas:
Cinnamomi ——— Unciam unam & ſemis:
Xylobalſami,
Nardi Indicæ,
Radicum Aſari,
Maſtiches,
Croci, ——— ana Drachmas ſex.

Pulveriſatis omnibus per gradus, ex lege artis fiant Species.

Ventriculi, & inteſtinorum inquinamenta educunt; obſtructiones reſerant, & ad menſium ſuppreſſionem utiliter adhibentur.

DOSIS a Scrupulo ad Drachmam unam.

PULVIS DIASENNÆ.

℞. Sennæ Orientalis ——— Uncias tres:
Cremoris Tartari,
Sacchari albiſſimi, ——— ana Unciam unam:
Macis ——— Drachmas tres:
Cin-

Cinnamomi ——— Drachmam unam & ſemis:
Diacrydii ————————— Drachmam unam.

Fiat Pulvis, prouti decet, aſſervandus.

Ad melancholicos humores, ac ſeroſam humorum colluviem dejiciendam commendatur.

DOSIS à Drachma una ad Drachmas duas.

Etiam ſine Diacrydio parari poteſt.

DOSIS a Drachmis duabus ad Drachmas tres.

PULVIS CORNACCHINUS.

℞. Scammonii ſulphurati,
Stibii Diaphoretici,
Cremoris Tartari, ——— ana Partes Æquales:

Fiat omnium Pulvis.

Alvum commode evacuat, & ad multos, ac diverſi generis morbos exſtirpandos aptus cenſetur.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Scrupulos duos.

Scammonium ſulphuratum, quod etiam Diacrydium ſulphuratum dicitur, inter præparationes chemicas recenſebitur.

PULVIS STERNUTATORIUS.

℞. Foliorum Majoranæ,
Rorifmarini,
Pulegii,
Salviæ, — ana Unciam unam & femis:

Nicotianæ,
Radicum Hellebori albi,
Seminum Nigellæ, — ana Unciam unam.

Tere, & mifce pro Pulvere.

Per nares attractus a pituitofis humoribus caput repurgat.

SPECIES AD USUM EXTERNUM.

SPECIES C[illegible] PRO EPITHEMATE.

℞. Florum Borraginis,
Bugloffæ,
Meliffæ, ——— ana Manipulum femis:

Rofarum rubrarum ——————— Uncias tres:

Santali albi,
rubri, —————— ana Uncias duas:

Radicum Behen albi,
rubri,

Radi-

Radicum Doronici,
Coralliorum rubrorum,
Corticum Citrei,
Ossium Cordis Cervi,
Serici ustulati, ——————— ana Unciam semis:

Ligni Aloes,
Caryophyllorum,
Croci Orientalis, ————— ana Drachmas duas.

Ex lege artis fiant Species.

Imbecillitati ventriculi, & noxis ab ea provenientibus subveniunt.

SPECIES EMPLASTRI DE CRUSTA PANIS MONTAGNANÆ.

℞. Summitatum Menthæ,
Mastiches,
Spodii ex Ebore,
Coralliorum rubrorum,
Santali albi,
rubri, ——————— ana Partes Æquales.

Secundum artem fiant Species.

Usus ad vomitum sistendum.

SPECIES CAPITALES TEMPERATÆ.

℞. Rosarum rubrarum,
Balaustiorum,
Mastiches, ——————— ana Drachmas duas:

Nucum Cupressi,
Comarum Stœchados,
— ana Drachmam unam & semis:
Macis,
Baccarum Myrti,
Santali citrini,
rubri,
Florum Labruscæ, ——— ana Drachmam unam.

Pulverisatis omnibus, fiant Species.

A capite roborando, omnisque generis fluxionibus ab eo arcendis nomen sumpserunt.

SPECIES CAPITALES CHIRURGICÆ
GALENI.

℞. Radicum Aristolochiæ rotundæ,
Ireos,
Panacis Heraclei,
Mannæ Thuris,
Aloes Hepaticæ,
Farinæ Ervi, ——————— ana Partes Æquales.

Fiant Species subtiles, quæ usui serventur.

Extergunt citra morsum, ac ea tollunt, quæ carnis reparationem impediunt.

SPE-

SPECIES SARCOTICÆ.

℞. Aloes Hepaticæ,
Sarcoçollæ, ——————— ana Drachmas tres:
Thuris,
Masticches, ——————— ana Drachmas duas.
Fiat omnium Pulvis.

Valent ad carnem in vulneribus regenerandam.

PULVIS GAMBELLI.

℞. Sulphuris,
Salis Marini,
Cineris cribrati, ———— ana Partes Æquales.
Fiat Pulvis ex omnibus.

Scabiem, & alia cutis ulcuſcula exſiccat.



SECTIO V.

QUÆ EST

DE

MORSULIS AC TABELLIS.

MORSULI AC TABELLÆ ALTERANTES.

SACCHARUM PENIDIUM.

℞. Sacchari optimi ———————— quantum placet.

Diſſolve in ſufficienti quantitate Aquæ puræ, & clarifica ad ignem ex arte: filtratum coque ad ultimam ſpiſſitudinem, ideſt, dum particula extremis digitis diducta refrigeſcendo fragilis evadat. His peractis, Saccharum adhuc fervens effunde ſupra marmor Oleo Amygdalino oblitum; cumque, imminuto calore, denſari ac lenteſcere cœperit, manibus eodem Oleo inunctis plurimum contrecta ac ſubige, ut conſiſtentiam prorſus ductilem acquirat. Maſſam deinde calentem adhuc trahe in longitudinem, quantum fieri poteſt, per uncum ferreum parieti infixum aſſidue ducendo ac reducendo, quouſque candida efficiatur. Ultimo, priuſquam frigore ſolideſcat, ab unco depoſitam ſupra tabulam marmoream, ut ſupra, inun-

ctam

ctam extende, ac in partes longiuſculas ſeca, vel in funiculos contorque: Penidia erunt, vulgo dicta, ſupra chartam amylo inſperſam leniter ſiccanda.

Ad raucedinem, ac tuſſim mitigandam. Requiruntur etiam ad varia compoſita, pro quibus æqua portio Sacchari candidi, Penidiis deficientibus, ſubrogari tuto poteſt.

SACCHARUM HORDEATUM.

℞. Sacchari albiſſimi ———————— quantum placet.

Diſſolve in ſufficienti quantitate decocti Hordei, & clarificatum coque ad eam ſpiſſitudinem, ut particula digitis contrectata in pilulam conformari poſſit; tum deinde ſupra tabulam marmoream projice Oleo Amygdalino inunctam, fervens adhuc & liquefactum, ut æquabiliter fuſum complanetur. Ante refrigerationem in ſegmenta divide, ac in loco ſicco repone.

TABELLÆ VEL ROTULÆ
Manus Christi Simplices.

℞. Sacchari albiſſimi ———————— quantum placet.

Diſſolve in ſufficienti quantitate Aquæ Violarum, & clarificatum coque ad conſiſtentiam Sacchari Hordeati; ab igne deinde remotum, ligneo piſtillo in gyrum ducto fortiter agita, ut pelluciditatem amittat; ultimo ſupra tabulam marmoream univerſum

simul projice, ac, ubi complanatum fuerit, adhuc tepens scinde in Tabellas justæ magnitudinis. Quod si orbiculares placeant, Saccharum fervens, ac simili ratione agitatum, supra tabulam ligneam amylo conspersam guttatim effunde, ut fiant Rotulæ, in loco sicco servandæ.

Idem usus, qui Penidiorum, ac Sacchari Hordeati. Ad raucedinem, ac tussim demulcendam expetuntur.

Non dissimili ratione ceteræ quoque Tabellæ, ac Rotulæ ad ignem parantur, quas infra describemus. Eadem ubique Sacchari coctione opus est; quæ hinc propterea coctio *Manus Christi* nuncupari solet.

TABELLÆ MANUS CHRISTI ROSATÆ

SIVE

SACCHARUM ROSATUM SICCUM.

℞. Rosarum rubrarum recentium — Uncias quatuor:
Sacchari albissimi ——————— Libras duas.

Clarificato Saccharo, & ad Manus Christi coctionem ducto, misceantur Rosæ optimæ contusæ: non tamen pistillo ligneo Saccharum agitetur, sed projectum supra tabulam marmoream scindatur in Tabellas.

Ad stomachi, ac pulmonis affectus sanandos utiles sunt.

Si Rosarum rubrarum loco adhibeantur Violæ, erunt Tabellæ Manus Christi Violatæ.

TABELLÆ VEL ROTULÆ
De Oleo Anisorum.

℞. Olei essentialis Anisorum —— Drachmas duas:
Sacchari albissimi ———— Libras duas.

Clarificato Saccharo, & ad Manus Christi spissitudinem cocto, inter agitationem instilletur Oleum Anisorum; eoque probe commisso, fiant secundum artem Tabellæ, vel Rotulæ.

Usus in stomachi vitiis a cruditate.

TABELLÆ DE CHINA-CHINA.

℞. Sacchari albissimi ———— Libras duas.

Clarificato, & cocto ad consistentiam Manus Christi admisce
Extracti Chinæ - Chinæ ——— Unciam unam.

Agita fortiter, ut perfecte dissolvatur: sub finem adde
Cinnamomi subtiliter pulverisati
— Unciam semis.

Et fiant secundum artem Tabellæ, vel Rotulæ.

Febrium intermittentium reliquias profligant.

TABELLÆ DE CHALYBE.

℞. Sacchari albiſſimi ——————— Uncias viginti.

Clarificato, & ſufficienter cocto ſenſim admiſce
Limaturæ Martis præparatæ ——— Uncias duas.

Adhibita convenienti agitatione, ſub finem adde
Cinnamomi pulveriſati ———— Unciam ſemis.

Fiantque ſecundum artem Tabellæ, vel Rotulæ.

Aperiendi vi pollent, ac roborandi.

TABELLÆ ANTHYSTERICÆ
SIVE
DIACYMINI.

℞. Specierum Diacymini ————— Uncias duas:

Sacchari albi —————————— Libras duas.

Clarificato Saccharo, & ad debitam conſiſtentiam cocto, Species inter agitationem admiſce, ut fiant ſecundum artem Tabellæ, vel Rotulæ.

Eodem ordine procedes, quoties ex aliis Speciebus, ſuo loco recenſitis, Tabellas, vel Rotulas parare volueris; quin etiam Species illas eundem in uſum adhibere poteris, ex quibus Confectiones, ſive Electuaria mollia componuntur. Hinc Tabellæ iſtæ a quibuſdam Electuaria, ſive Confectiones ſolidæ appellari ſolent.

TA-

TABELLÆ ANTHELMINTHICÆ
SIVE
CONFECTIO ENECANS VERMES.

℞. Seminum Portulacæ,
Brassicæ,
Nigellæ,
Citrei,
Rhabarbari,
Corallinæ,
Santali rubri,
Seminis Sancti, ——— ana Drachmam unam:

Cinnamomi,
Radicum Dictamni albi,
Cornu Cervi usti, ——— ana Scrupulos duos:

Rosarum rubrarum ——— Drachmam semis.

Pulverisatis omnibus, & commistis, cum
Sacchari albissimi ——— Unciis sexdecim

in Aqua Cardui Benedicti dissolutis, fiat secundum artem Confectio in Rotulis, vel Tabellis.

Lumbricis adversantur: puerisque, ea molestia plurimum tentatis, vel ad curationem, vel ad præcautionem conducunt.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas duas.

TABELLÆ DE PAPAVERE
SIVE
DIACODION SOLIDUM.

℞. Capitum Papaveris albi cum ſeminibus leviter contuſorum ———————— Uncias duas.

Macera per horas XXIV. in Aquæ fontis Libris duabus: decoque ad dimidias: cola, & in expreſſo diſſolve Sacchari albiſſimi ———————— Libram unam.

Clarifica, & iterum coque ad juſtam conſiſtentiam, ut fiant ex lege artis Tabellæ, vel Rotulæ.

Contumaciori tuſſi vexatis ſolatium præſtant.

TABELLÆ DE ALTHÆA
SIVE
CONFECTIO PAPALIS.

℞. Pulpæ Radicum Althææ ſecundum artem extractæ — Uncias quatuor:

Sacchari albiſſimi ———————— Libras duas.

Saccharo decenter cocto miſceatur Pulpa, ſeu Cremor per ſetaceum trajectus; & poſt iteratam coctionem projiciatur maſſa ſupra tabulam Oleo Amygdalino inunctam, ut fiant ex arte Tabellæ, vel Morſuli.

Pituitam incraſſant, ac tuſſim leniunt.

TABELLÆ DIATRAGACANTHI FRIGIDI.

℞. Specierum Diatragacanthi Frigidi — Uncias duas:
Sacchari puriſſimi in conis ſubtiliter pulveriſati — Libras duas.

Subigantur omnia ſimul commiſta cum ſufficienti quantitate Mucilaginis Tragacanthi, & fiat maſſa; ex qua formentur Tabellæ, vel Rotulæ leniter ſiccandæ.

Phthiſicis, & hæmoptyicis conveniunt.

TABELLÆ BECHICÆ DE GLYCYRRHIZA.

℞. Radicum Glycyrrhizæ — Unciam unam & ſemis:
Althææ ——— Drachmas decem:
Specierum Diatragacanthi Frigidi, detractis ſeminibus, — Unciam ſemis:
Sacchari puriſſimi in conis ——— Libras duas.

Pulveriſatis omnibus ſubtiliſſime, cum Mucilagine facta ex
Tragacanthi ——— Drachmis duabus:
Aquæ Roſarum,
Florum Citrei, — ana Uncia una & ſemis:
fiant ſecundum artem Tabellæ, vel Morſuli.

In raucedine ac tuſſi, ad faucium aſperitatem demulcendam, plurimum conferunt.

MOR-

MORSULI DE SUCCO GLYCYRRHIZÆ.

℞. Succi Glycyrrhizæ ———————— Uncias duas:

Sacchari ſicciſſimi ———————— Uncias quatuor.

Facto omnium pulvere, cum ſufficienti quantitate Mucilaginis Tragacanthi formentur Morſuli ſecundum artem.

Conveniunt cum Tabellis proxime deſcriptis.

PASTILLI DE CATECHU
SIVE CACHOU.

℞. Catechu ———————— Drachmas duas:

Sacchari puriſſimi in conis —— Unciam unam.

Tere ſubtiliter in pulverem, & cum ſufficienti quantitate Mucilaginis Tragacanthi, in maſſam redige, dein ſuperadde

Olei Cinnamomi ———————— Guttas duas.

Et fiant ex lege artis Paſtilli, ſeu Pilulæ ſublinguales.

Ad tuſſim a defluxione, ac diarrhœam; & ad pravum halitum oris emendandum.

Ita ex aliis pulveribus, & juſta Sacchari portione, cum Mucilagine Tragacanthi, non adhibito igne, fieri ſolent Morſuli, ac Rotulæ.

TABELLÆ PURGANTES.

TABELLÆ DIACARTHAMI
Nicolai Florentini.

℞. Medullæ ſeminum Carthami optime contuſæ — Unciam ſemis:
Conſervæ Cydoniorum ———— Uncias duas:
Mannæ electæ,
Mellis Roſati Solutivi, —— ana Drachmas tres:

Diſſolve in
Sacchari clarificati, & ad Manus Chriſti conſiſtentiam cocti — Unciis quindecim.

Rurſus coque, ſi opus fuerit, ad humiditatis conſumptionem: ſedato calore inſperge, quæ ſequuntur, optime pulveriſata:
Specierum Diatragacanthi Frigidi — Unciam unam:
Diacrydii ———— Drachmas quinque:
Turpethi ———— Drachmas duas:
Zingiberis ———— Drachmam unam.

Miſce, & fiat Confectio ſupra marmor cylindro tenuanda, ac in Tabellas ſcindenda.

Bilioſos humores, ac pituitoſos dejiciunt.

DOSIS a Drachmis duabus ad Drachmas quatuor.

TABELLÆ DE RHABARBARO.

℞. Rhabarbari ſubtiliter pulveriſati
— Unciam ſemis :

Sacchari albiſſimi ———— Uncias quatuor.

Diſſoluto Saccharo in ſufficienti quantitate Aquæ Florum Citrei, clarificato, ac decenter coĉto, jamque ab igne ſemoto adjiciatur Rhabarbari pulvis, & fiant ſecundum artem Tabellæ, vel Rotulæ.

Alvum leniter evacuant: ſtomachi & hepatis vitiis medentur.

***DOSIS** a Drachmis duabus ad Drachmas ſex.*



S E.

SECTIO VI.

QUÆ EST
DE
CONSERVIS
CONDITIS ET ELÆOSACCHARIS.

CONSERVÆ ALTERANTES.

CONSERVA ROSARUM
SIVE
SACCHARUM ROSATUM.

℞. Roſarum rubrarum recentium ſemiapertarum — Libram unam:

Sacchari albiſſimi ——————— Libras tres.

Clarificato Saccharo, & ad coctionem Manus Chriſti perducto, ubi ab igne removeris, Roſas ab unguiculis repurgatas, ac decenter contuſas paullatim admiſce; rurſus leniter coque ad humiditatis conſumptionem, ut fiat Conſerva, in loco ſicco reponenda.

Stomachum, pulmonem, ac reliqua viſcera mirifice recreat.

CONSERVA VIOLARUM.

℞. Violarum recentium a calycibus mundatarum — Libram unam:

Sacchari albiſſimi ———————— Libras tres.

Eodem ordine procedes, ut in Conſerva Roſarum proxime deſcripta.

Pectori prodeſt, tuſſim mulcet, ac ſomnum blande conciliat.

Parantur ſimili ratione Conſervæ Florum, qui ſunt natura humidiores: E. G.

Conſerva Florum Primulæ Veris.
Conſerva Florum Tunicæ ſive Caryophyllorum hortenſium.
Conſerva Florum Calendulæ.
Conſerva Florum Pæoniæ.
Conſerva Florum Geniſtæ.
Conſerva Florum Fumariæ.
Conſerva Florum Borraginis.
Conſerva Florum Buglоſſæ.
Conſerva Florum Malvæ.
Conſerva Florum Cichorii.
Conſerva Florum Nymphææ.
Conſerva Florum Papaveris Rhœados.

CON-

CONSERVA FLORUM ANTHOS.

℞. Florum Anthos ſive Roriſmarini, ab herbaceo additamento repurgatorum — Libram unam:

Sacchari albiſſimi ———— Libras quatuor.

Clarificato Saccharo, & coćto ad juſtam conſiſtentiam, fiat ſecundum artem Conſerva.

Simili ratione fiant Conſervæ florum, qui tenuiores ſunt, minuſque humoris continent: E. G.

Conſerva Florum Betonicæ.
Conſerva Florum Salviæ.
Conſerva Florum Meliſſæ.
Conſerva Florum Ivæ Arthetica.
Conſerva Florum Hederæ Terreſtris.
Conſerva Florum Euphraſiæ.
Conſerva Florum Tiliæ.

Et aliæ, quarum uſus, cognita plantarum facultate, non poteſt eſſe obſcurus.

CONSERVA FLORUM CITREI.

℞. Florum Citrei repurgatorum —— Libram unam:

Sacchari albiſſimi ———— Libras tres.

Flores leniter in Aqua decocti, frigida ſuperfuſa, &, quoties opus fuerit renovata, macerentur, donec dul-

dulcescant: dein cum Saccharo clarificato, & ad debitam consistentiam redacto, fiat secundum artem Conserva.

CONSERVA SUMMITATUM ABSINTHII.

℞. Summitatum Absinthii Pontici — Libram unam:
Sacchari albissimi ——————— Libras tres.

Foliis minute incisis, cum Saccharo ad Manus Christi spissitudinem cocto, fiat secundum artem Conserva.

Ad eundem modum aliæ Conservæ Herbarum parentur: E. G.

Conserva Summitatum Scordii.
Conserva Foliorum Cochleariæ.
Conserva Capillorum Veneris.
Conserva Foliorum Rutæ &c.

Quarum usus similiter a cognitione virium herbarum petendus est.

CONSERVÆ PURGANTES.

CONSERVA FLORUM PERSICÆ.

℞. Florum Perſicæ a calycibus repurgatorum — Libram unam:

Sacchari albiſſimi ——————— Libras tres.

Clarificato Saccharo, & cocto ad debitam conſiſtentiam, omnia fiant, ut in Conſerva Roſarum.

Humores ſeroſos dejicit, ac lumbricos necat.

DOSIS ab Uncia una ad Uncias duas.

CONSERVA ROSARUM MOSCHATARUM.

℞. Roſarum Moſchatarum bene repurgatarum — Libram unam:

Sacchari albiſſimi ——————— Libras tres.

Saccharum ſubtiliter pulveriſatum commiſceatur Roſis, ut decet, contuſis: inſoletur miſtura per aliquot dies, uſque eo dum perfectam conſiſtentiam acquirat.

Ad alvum ſubducendam uſurpatur.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Unciam unam.

Fuit hæc olim Majoribus noſtris ante alias probata ratio Conſervas Florum parandi, calore ignis non adhibito: nunc fere a conſuetudine receſſit.

CON-

CONSERVÆ RADICUM ET FRUCTUUM.

CONSERVA RADICUM ENULÆ CAMPANÆ.

℞. Radicum Enulæ Campanæ ——— Libram unam.

Coquantur ad mollitiem in ſufficienti quantitate Aquæ fontis, & fortiter contuſæ ac proprio decocto humectatæ per ſetaceum laxius trajiciantur, ut extrahatur pulpa: quo facto ſume

Sacchari albi ——————— Libras duas.

Diſſolve in reliquo decocto, clarifica, & ad Manus Chriſti ſpiſſitudinem redige: pulpam admiſce, & iterum coque ad conſumptionem humiditatis, ut fiat Conſerva ex lege artis.

Lympham viſcidiorem pulmones obruentem attenuat, & incidit.

CONSERVA RAPARUM.

℞. Raparum denſioris carnis ——— Libram unam.

Extrahe pulpam ex arte: in decocto reſiduo diſſolve

Sacchari albi ——————— Libras duas.

Clarificato Saccharo, & ad ignem decenter inſpiſſato commiſceatur Raparum pulpa: & fiat ſecundum artem Conſerva.

Gravedini, raucedini, & aliis gutturis ac pulmonis affectibus opitulatur.

CON-

CONSERVA CYDONIORUM
SIVE
DIACYDONIUM.

℞. Cydoniorum a corticibus, ac seminibus repurgatorum — Libras quatuor:

Sacchari albissimi ——————— Libras octo.

Cydonia quadripartito divisa in Saccharo clarificato coque ad mollitiem, & per cribrum trajecta dissolve in eodem Saccharo: recoque ad justam consistentiam, ut fiat Conserva.

Ventriculum reficit, appetentiam revocat, vomitum, & alvi fluorem cohibet.

Fit eadem ratione Conserva ex Pomis Appianis, & aliis fructibus.

CONSERVA FRUCTUUM CYNORRHODI.

℞. Fructuum Cynorrhodi ——— Libram unam.

Adhibita leni coctione pulpam extrahe, & per setaceum trajice: in decocto solve

Sacchari albi ——————— Libras duas.

Clarifica, & pulpam cum eo mistam recoque, ut fiat ex lege artis Conserva.

Usus in urinæ ardore, & aliis vesicæ ac renum passionibus.

Sic etiam ex Baccis Juniperi Conservam parabis.

CONSERVA CORNORUM
SIVE
DIACORNUM.

℞. Fructuum Corni arboris ——— Libram unam:
Sacchari albi ————————— Libras duas.

Extracta, & per ſetaceum trajecta Cornorum pulpa decoquatur una cum Saccharo, ut fiat ex lege artis Conſerva.

Ad dyſenteriam, & exuberantem menſium fluxum reprimendum.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Unciam unam.

CONSERVA SORBORUM
SIVE
DIASORBUM.

℞. Pulpæ Sorborum nondum maturorum, ſecundum artem per coctionem extractæ,
Mellis deſpumati, ——— ana Partes Æquales.

Coque ſimul ad juſtam conſiſtentiam.

Alvum immodice fluentem adſtringit.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Unciam unam.

Elegantius etiam paratur cum Saccharo, inſtar Conſervæ fructuum Cynorrhodi.

CON-

CONSERVA TOTIUS CITREI.

℞. Citreorum radula comminutorum — Libram unam:
Sacchari albiſſimi ———————— Libras tres.

Clarificato Saccharo, & ad debitam conſiſtentiam perducto, fiat ex lege artis Conſerya.

Refrigerat ſimul & corroborat.

CONSERVA CORTICUM CITREI.

℞. Corticum exteriorum, ſive Flavedinis Citrei — Libram unam:
Sacchari albiſſimi ———————— Libras quatuor.

Incidantur Cortices minutiſſime, & Saccharo immiſceantur poſt clarificationem ad juſtam ſpiſſitudinem cocto, ut fiat ſecundum artem Conſerva.

Cordi, ac ventriculo confert.

CONSERVA SEMINUM MELONUM.

℞. Seminum Melonum decorticatorum, & optime contuſorum — quantum placet:
Sacchari albiſſimi ſubtiliter pulveriſati — duplum.

Miſceantur ſimul exactiſſime in mortario lapideo, ut fiat Conſerva ſine igne.

Ad parandas Emulſiones extemporaneas.

CONDITA.

RADICES CARLINÆ CONDITÆ.

℞. Radicum Carlinæ recentium —— Libram unam:

Sacchari albiſſimi ———————— Libras duas.

Radices ab exteriori cortice, ac ligneo meditullio optime repurgatas, & in longum ſectas, macera per dies aliquot in aqua pura, identidem renovata, donec ingratum ſaporem amittant. Leviter coctis Saccharum clarificatum, & ad Syrupi denſioris ſpiſſitudinem redactum affunde. Poſt paucos dies effuſum leniter Syrupum, jam liquidiorem factum, ad priorem conſiſtentiam recoque, & radicibus iterum affunde. Tertio aut quarto opus repete, quoad non amplius Syrupus a radicibus liquetur, ſed in debita conſiſtentia remaneat. Ita poterunt Conditæ Radices cum ſuo Syrupo in uſum reponi.

Quod ſi Radices, e Syrupo extractas, novo cum Saccharo clarificato decoxeris, ad conſumptionem humiditatis, in hypocauſto leniter ſiccatas diu ſervare poteris extra Syrupum: erunt Radices Carlinæ Conditæ ſiccæ.

Utraque ratione poſſunt Radices aliæ, & Fructus condiri; ea lege, ut, quæ amariora & acriora fuerint, repetita maceratione prius dulcificentur; ſicca vero & arefacta humectentur. Ex his tamen pleraque, cum deliciarum fere, non valetudinis gratia requiri ſoleant, a Pharmacopoliis ablegata, bellariorum ac tragematum artificibus, tamquam propria, conceduntur.

Ad Medicinam pertinere videntur inter Condita:

Radices Acori.
Radices Eryngii.
Radices Enulæ Campanæ.
Radices Satyrii.
Radices Zingiberis.
Nuces Juglandes immaturæ.
Myrobalani omnes.
Cortices Citrei.
Cortices Aurantiorum.

Et ſi quæ ſunt alia.

ELÆOSACCHARA.

ELÆOSACCHARUM CINNAMOMI.

℞. Sacchari puriſſimi in conis ſubtiliter pulveriſati — Unciam unam:

Olei Cinnamomi ———— Scrupulum unum.

Tere ſimul in mortariolo vitreo, & in vaſe optime clauſo ad uſum ſerva.

Ita ex aliis Oleis eſſentialibus aromaticis parentur Elæoſacchara, quæ vires ab ipſis mutuantur.


ELÆO-

ELÆOSACCHARUM CITREI
SIVE
ESSENTIA CITREI SICCA.

℞. Sacchari puriſſimi metam conicam integram.

Huic Malum Citreum fortiter affricabis, ut flavedo exterior attrita Saccharo adhæreat, illudque propria fragrantia imbuat: quod ſatis imbutum videbitur radula diligenter auferes, alteriuſque Citrei faciem nondum flavo cortice ſpoliatam, cono Saccharino induces: omnia, ut ſupra repetes, quoad libuerit. Elæoſaccharum habebis, ſive Eſſentiam Citrei ſiccam, in vaſe optime clauſo ſervandam.

Gratum odorem aliis medicamentis, ac potionibus admiſtum conciliat.



SE-

SECTIO VII.

QUÆ EST

DE

LOHOCH ET ROB.

LOHOCH SIVE ECLEGMATA.

LOHOCH DE TUSSILAGINE SIMPLEX.

℞. Radicum Tuſſilaginis recentium — Libram unam.

Decoque in Aquæ fontis Libris quatuor, ad conſumptionem medietatis: tunde, & pulpam per ſetaceum ſecundum artem trajectam in proprio decocto diſſolve; quo facto adde
Mellis deſpumati ———————— Libras duas.

Recoque omnia ad juſtam ſpiſſitudinem; quæ inter Syrupi, atque Electuarii mollioris conſiſtentiam media quodammodo videtur.

Uſus in tuſſi, & aliis pectoris affectibus.

LOHOCH DE ALTHÆA SIMPLEX.

Fit eadem ratione ac Lohoch de Tussilagine, quocum etiam viribus convenit.

LOHOCH DE SCILLA.

℞. Scillas crudas ——————— tres vel quatuor.

Secentur eburneo cultello: terantur in mortario marmoreo, ligneo pistillo, ut succus exprimatur; deinde accipe

Succi istius depurati,
Mellis despumati, ——— ana Partes Æquales:

Coque simul ad justam Lohoch spissitudinem.

Materiem crassam, & coctu difficilem respirationis organa occupantem, expulsioni facilem reddit.

LOHOCH DE PSYLLIO.

℞. Mucilaginis seminum Psyllii secundum artem extractæ — Uncias duas:

Sacchari albi ——————— Libram unam.

Clarificato Saccharo, & in Syrupum cocto admisceatur Mucilago, & cum eo inter coctionem agitetur, donec justam acquirat Lohoch consistentiam.

Tenues & acres humores in pectus defluentes condensat.

LO-

LOHOCH DE TUSSILAGINE COMPOSITUM
Jacobi Manlii.

℞. Radicum Tuſſilaginis ——— Libram unam.

Decoque ad extractionem pulpæ, ut in Lohoch ſimplici: in decocto expreſſo diſſolve
Sacchari albi ——— Libram unam & ſemis.

Coque in Syrupum, & paullatim adjice

Pulpam extractam Radicum Tuſſilaginis:

Pulpæ Paſſularum ——— Uncias duas:

Nucl. Pineorum contuſorum — Unciam unam & ſemis:

Succi Glycyrrhizæ ——— Unciam unam.

Remove ab igne, & adde, quæ ſequuntur, ſubtiliter pulveriſata:
Cinnamomi,
Macis, ——— ana Scrupulum unum:

Croci,
Caryophyllorum, ——— ana Scrupulum ſemis.

Miſce exactiſſime, fortiter agitando, ac in uſum repone.

Ad eadem valet, ad quæ Lohoch de Tuſſilagine ſimplex, ſed efficacius.

LOHOCH DE PULMONE VULPIS

Mesuæ.

℞. Pulmonis exſiccati Vulpis,
Succi Glycyrrhizæ,
Foliorum Adianti albi, ideſt Rutæ murariæ,
Seminum Aniſi,
Fœniculi, ——— ana Unciam unam:
Sacchari albi ————— Uncias quindecim.

Diſſoluto Saccharo in ſufficienti quantitate Aquæ Pulmonariæ, ac in Syrupum denſato, commiſceantur reliqua ſubtiliter pulveriſata, & agitentur ſimul ad juſtam Lohoch conſiſtentiam.

Ulcera pectoris, in primiſque pulmonum abſtergit, & conſolidat.

ROB SIVE SAPÆ.

ROB DE OMPHACIO SIMPLEX.

℞. Succi Omphacii ————— quantum placet.

Coquatur per ſe in vaſe terreo, ad juſtam conſiſtentiam Rob, quæ aliquanto ſpiſſior quam Mellis.

Ventriculum refrigerat, & adſtringit.

Poſ.

Possunt eadem ratione e succis variorum fructuum Rob sive Robub simplicia parari, quæ tamen apud nos usum vix præstant.

ROB DE RIBESIIS.

℞. Succi expressi Ribesiorum ——— Libras duas:
Sacchari albi ——————— Libram unam.

Coquantur simul ad justam Rob spissitudinem.

Refrigerat, sitim compescit, biliosas vomitiones sedat.

Ad eundem modum, ex Berberum, Cydoniorum, aliorumque fructuum acidorum succis Saccharo incoctis Rob, si opus fuerit, conficies.

ROB JUNIPERINUM.

℞. Granorum Juniperi maturorum — Libram unam.

Decoque in Aquæ fontis Libris tribus, ad consumptionem tertiæ partis: cola, & fortiter exprime: in expresso dissolve

Sacchari albi ——————— Libras duas.

Rursus coque ad justam Rob consistentiam.

Urinam, calculos, menses evocat, viscera imi ventris corroborat.

ROB SAMBUCINUM.

Succi expreſſi, ac depurati Baccarum Sambuci
— Libras duas:
Sacchari albi ——————— Libram unam.

Fiat Rob ſecundum artem.

Sudorem, ac urinam ciet, affectibus uterinis prodeſt: copioſe aſſumptum ſeroſos humores dejicit.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmas duas.

DIACODION SIMPLEX GALENI.

Capita Papaveris albi modicæ magnitudinis, itemque mediocriter matura — Numero viginti.

Macera per horas XXIV. in Libris tribus Aquæ fontis; poſtea decoque, quoad capita prorſus mollita fuerint: cola, & in expreſſo diſſolve
Mellis deſpumati ——————— Libras duas.

Iterum coque ad juſtam Rob conſiſtentiam.

Somnum conciliat.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas duas.

SECTIO VIII.

QUÆ EST

DE

SYRUPIS.

SYRUPI ALTERANTES SIMPLICES.

SYRUPUS DE POMIS
SIMPLEX.

℞. Succi Pomorum dulcium ——— Libras tres:
Sacchari albi ——— Libras quatuor.

Saccharum in Succo per ſubſidentiam depurato ſolutum clarifica ſecundum artem, & coque in vaſe terreo vitreato, ut fiat Syrupus juſtæ conſiſtentiæ.

Ad putredinem arcendam, & melancholicos humores temperandos commendatur.

SYRUPUS DE CYDONIIS
VULGO
MIVA CYDONIORUM.

℞. Succi Cydoniorum depurati ——— Libras duas:

Sacchari albi ————————— Libras quatuor.

Clarifica, & coque, ut fiat Syrupus.

Uſus in alvi profluviis.

Eadem ratione fiant ceteri Syrupi e Succis vinoſorum, & acidorum fructuum: E. G.

Syrupus de ſucco Granatorum.
Syrupus de Ribeſiis.
Syrupus de Fructibus Rubi Idæi. &c.

SYRUPUS DE ACETOSITATE CITREI.

℞. Succi Citrei cum ſuis acinis contritis — Libram unam:

Sacchari albi ————————— Libras duas.

Clarificato Saccharo, ac fere ad conſiſtentiam Manus Chriſti denſato, Succum cum acinis paullatim affunde, & modice recoque in fictili vaſe, ad juſtam ſpiſſitudinem.

Refrigerat, ac ſitim extinguit.

SY-

SYRUPUS DE SUCCO LIMONUM.

℞. Succi expreſſi Limonum ——— Libram unam:
Sacchari albi ——————— Libras tres.

Eodem ordine procedes, ut in Syrupis proxime deſcriptis.

SYRUPUS DE SUCCO ACETOSÆ.

Succi Acetoſæ per ſubſidentiam depurati,
Sacchari albi, ———— ana Partes Æquales.

Saccharum in Succo diſſolve, clarifica, & coque ad debitam conſiſtentiam.

Confert ad igneum viſcerum calorem in febribus bilioſis compeſcendum.

Sic pariter conficiantur Syrupi quamplurimi ſimplices e Succis herbarum: E. G.

Syrupus de ſucco Borraginis.
Syrupus de ſucco Portulacæ.
Syrupus de ſucco Cichorii.
Syrupus de ſucco Endiviæ.
Syrupus de ſucco Plantaginis.
Syrupus de ſucco Urticæ.
Syrupus de ſucco Hederæ terreſtris.
Syrupus de ſucco Artemiſiæ.
Syrupus de ſucco Cochleariæ. &c.

SY-

SYRUPUS DE SUCCO VIOLARUM.

℞. Succi Violarum expreſſi ——— Libram unam:

Sacchari albi ——————— Libras quatuor.

Decocto Saccharo ad conſiſtentiam Manus Chriſti, & ab igne remoto, Succum paullatim affunde, & optime commiſce, ut fiat Syrupus, loco frigidiuſculo ſervandus.

Calorem viſcerum temperat, ventrem mollit, thoracis vitiis medetur.

Eadem ratione ex aliis floribus, quorum ſuccus facile extrahi poteſt, Syrupi parentur: E. G.

Syrupus Florum Papaveris Rhœados.
Syrupus Florum Tunicæ.
Syrupus Florum Primulæ Veris.
Syrupus Florum Pæoniæ. &c.

SYRUPUS FLORUM TILIÆ.

℞. Florum Tiliæ repurgatorum —— Libram ſemis.

Infunde in Aquæ ſubfervidæ Libris quatuor: maneant per noctem: infuſo colato adde

Sacchari albi ——————— Libras quatuor.

Clarifica, ut artis eſt, & coque ad juſtam Syrupi conſiſtentiam.

Uſus in epilepſia, & capitis affectibus.

Ex floribus parciorem ſuccum habentibus non diſſimili ratione Syrupi confici poterunt; etiam ex ante recenſitis, ſi libuerit.

SYRUPUS FLORUM NYMPHÆÆ.

℞. Florum Nymphææ albæ ab herbaceis ac flavis additamentis mundatorum, & ab aliquot diebus ſicceſcentium — Libram ſemis.

Infunde, macera, & decoque in ſufficienti quantitate Aquæ fontis, dum remaneant Libræ quatuor: decoctum fortiter exprime, ac in eo diſſolve
Sacchari albi ———————— Libras quatuor.

Clarifica, & coque in Syrupum.

Refrigerat, ac ſomnum leniter conciliat.

SYRUPUS DE ROSIS SICCIS.

℞. Roſarum rubrarum exſiccatarum — Libram ſemis.

Fiat infuſio ſecundum artem in Aquæ ſubfervidæ Libris quatuor: infuſo colato adde
Sacchari albi ———————— Libras quatuor.

Clarifica, & coque in Syrupum.

Roborat, adſtringit, alvique fluxus cohibet.

SYRUPUS CAPILLORUM VENERIS.

℞. Herbæ Capilli Veneris ———— Libram ſemis.

Fiat infuſio, ut ſupra, in Libris quatuor Aquæ fervidæ: coletur infuſum, & cum
Sacchari albi ———————— Libris quatuor
fiat Syrupus ſecundum artem.

Uſus in pulmonis, hepatis, lienis, & aliorum viſcerum affectibus. Laudatur etiam ad fœminas a partu ſublevandas.

SYRUPUS DE ABSINTHIO.

℞. Summitatum Abſinthii recentium
— Uncias quatuor.

Infunde in Libris quatuor Aquæ ferventis per horas XII. infuſo colato adde
Sacchari albi ———————— Libras quatuor.

Clarifica, & coque in Syrupum.

Ventriculum, & alia nutritionis inſtrumenta roborat, urinam ac menſes ciet, colicæ paſſioni, & hyſtericis affectibus conducit.

Syrupos ex herbis vehementer amaris eadem ratione conficies.

SYRUPUS DE ALTHÆA
SIVE
DE IBISCO SIMPLEX.

℞. Radicum Althææ mundatarum, in orbiculos sectarum — Libram semis.

Decoque in sufficienti quantitate Aquæ communis, dum remaneant libræ quatuor: in decocto colato, & fortiter expresso dissolve

Sacchari albi ———————— Libras quatuor.

Fiat Syrupus ex lege artis.

Ad tussim, & faucium asperitatem leniendam.

Non dissimili ratione ex aliis radicibus Syrupi parentur: E. G.

Syrupus de Scorzonera.
Syrupus de Tussilagine.
Syrupus de Enula Campana. &c.

SYRUPUS DE PAPAVERE ALBO.

℞. Capitum Papaveris albi concisorum — Uncias quatuor.

Decoquantur in sufficienti quantitate Aquæ communis: decoctum colatum ad remanentiam librarum quatuor evaporet, & cum

Sacchari albi ———————— Libris quatuor

fiat Syrupus secundum artem.

Somnum blandissime conciliat.

SYRUPUS DE MECONIO

SYDENHAM.

℞. Capitum Papaveris albi exſiccatorum cum ſuis ſeminibus — Uncias quatuordecim.

Mediocriter conciſa macerentur per horas XXIV. in Aquæ fontis Libris octo: bulliant ad mollitiem & ultra, donec remaneant decocti Libræ circiter duæ. In decocto colato, & fortiter expreſſo diſſolve

Sacchari albi ——————— Libras duas.

Fiat Syrupus ex lege artis.

Proxime deſcripto longe efficacior, ad vigilias, itemque hæmorrhagias acutis febribus ſupervenientes, paregorici loco plurimum commendatur.

SYRUPUS DE BACCIS MYRTI.

℞. Baccarum Myrti ——————— Uncias octo:

Sacchari albi ——————— Libras quatuor.

Fiat ex Baccis decoctum, & ex decocto Syrupus ſecundum artem.

Diuturnos alvi fluores ſiſtit.

SY-

SYRUPUS DE CORTICIBUS CITREI.

℞. Corticum exteriorum Citrei ——— Uncias duas:
Sacchari albi ——————— Libras quatuor.

Clarificato Saccharo, & ad Syrupi fere consistentiam densato, immittantur cortices minute incisi: bulliat Syrupus ad justam spissitudinem, & colatus ad usum servetur.

Ventriculum roborat, pravum halitum oris emendat.

SYRUPUS DE CORTICIBUS AURANTIORUM.

℞. Corticum Aurantiorum exsiccatorum
— Uncias octo:

Decoque in sufficienti quantitate Aquæ communis, dum remaneant Libræ quatuor: cola, & in expresso dissolve
Sacchari albi ——————— Libras quatuor.

Clarifica, & coque in Syrupum.

Ad febres intermittentes, & stomachi affectus usurpatur.

SYRUPUS DE CINNAMOMO.

℞. Cinnamomi optimi — Unciam unam & ſemis.

Infunde, & macera in unciis octo Aquæ calentis, in vaſe clauſo: deinde ſume

Sacchari albiſſimi ———— Libram unam:

clarifica, & coque ad conſiſtentiam Manus Chriſti. Infuſum poſtea ſupradictum paullatim affunde, & recoque ad ignem leniſſimum.

Cor, & ſpiritus recreat, coctionis vitiis medetur.

DOSIS a Drachmis duabus ad Unciam dimidiam.

SYRUPUS DE CHINA-CHINA FRANCISCI TORTI.

℞. Chinæ-Chinæ ſubt. pulveriſatæ — Unciam unam.

Irroretur Spiritu Vini ad ſufficientem humectationem: fiat infuſio in

Vini generoſi ———— Unciis ſexdecim:

digeratur in Balneo-Maris per biduum vel triduum, agitando vas pluries in die; facta deinde per linteum valde rarum colatura, cum forti expreſſione, in ea diſſolve

Sacchari puriſſimi ———— Uncias octo.

Coque in Syrupum.

Ad ſuperandas febres intermittentes, infantibus potiſſimum, exhibetur.

DOSIS ab Uncia una ad Uncias duas.

SY-

SYRUPUS DE CONTRAYERVA.

℞. Contrayervæ modice tritæ ——— Unciam unam:
Spiritus Vini rectificati ———— Uncias octo.

Extrahe Tincturam secundum artem, & ex ea dimidiam partem Spiritus per distillationem abstrahe: deinde sume
Sacchari albissimi ———— Libras duas.

Clarificato, ac fere ad consistentiam Manus Christi perducto, Tincturam sensim affunde, ac lenissimo igne recoque ad justam spissitudinem.

Alexipharmaca vi, ac diaphoretica præstat; in malignis febribus, variolis, ac morbillis commendatissimus.

DOSIS ad Unciam dimidiam.

SYRUPUS DE COCCINELLA
VULGO DICTUS
SYRUPUS ALKERMES.

℞. Coccinellæ leviter contusæ ——— Unciam unam.

Infunde in Aquæ tepentis unciis sexdecim, & digere, donec extrahatur tinctura, affuso succi Limonum tantillo. Infusum cola, & cum
Sacchari albissimi ———— Libris duabus
fiat Syrupus secundum artem.

Cor, cerebrum, ac ventriculum roborat.

SY-

SYRUPUS DE TEREBINTHINA.

℞. Terebinthinæ Venetæ ——— Libram unam:
Sacchari albi ——— Libras duas.

Diſſoluto Saccharo in ſufficienti quantitate Aquæ Anonidis, & clarificato admiſceatur Terebinthina, ſimulque cum eo coquatur, dum Syrupus acquirat juſtam ſpiſſitudinem; quo refrigerato, cranium Terebinthinæ corpus auferatur, Syrupus verò ſeparatus ad uſum ſervetur.

Balſamica vi pollet, ac diuretica.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Uncias duas.

SYRUPUS DE TOTA TEREBINTHINA.

℞. Terebinthinæ Venetæ ——— Uncias duas:
Sacchari albi ——— Libram unam.

Diſſolvatur Terebinthina ex arte cum Vitelli Ovorum Drachmis ſex: Saccharum clarificatum, & ad Syrupi denſioris conſiſtentiam redactum, ſenſim & per vices affundatur Terebinthinæ ſic diſſolutæ; adhibita interim ſufficienti agitatione, neque intermiſſa, dum habeatur perfecta miſtio. Erit Syrupus de tota Terebinthina, aliter TEREBINTHINA JULEBISATA.

Efficacior habetur quam proxime deſcriptus.

DOSIS a Drachmis duabus ad Unciam unam.

SY-

SYRUPUS BALSAMICUS
PHARMACOPOEIÆ LONDINENSIS.

℞. Balſami Tolutani ——————— Uncias duas;
Aquæ Violarum ——————— Uncias novem.

Coque in vaſe circulatorio optime clauſo, in Balneo Arenæ calentis per horas duas vel tres: coletur liquor odore Balſami imbutus: refrigerato admiſce
Sacchari puriſſimi in conis —— Uncias viginti, ut fiat Syrupus juſtæ conſiſtentiæ ſine ope caloris.

Uſus in ſputo purulento, ac pulmonum ulcuſculis.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Unciam unam.

SYRUPUS DE RAPHANO RUSTICANO.

℞. Radicum Raphani ruſticani ——— Uncias duas.

Radula comminutas ſine mora infunde in Unciis octo Aquæ ſubfervidæ, & macera in vaſe vitreato clauſo per horas IV. Infuſum cola, & fortiter exprime: in expreſſo diſſolve
Sacchari puriſſimi in conis ——— Libram unam.

Digere in Balneo Maris per horas XXIV. & Syrupum non diu ſervabilem ad uſum repone.

Lithontriptica vi præſtat, & antiſcorbutica.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Unciam unam.

SYRUPUS DE PETO QUERCETANI.

℞. Succi Peti ſive Nicotianæ —— Libras quatuor:
Oxymelitis ſimplicis ——— Uncias quatuor:
Hydromelitis ——— Libram unam.

Digere in matracio ſeu phiala vitrea per duos vel tres dies in Balneo Maris: ubi ſedimentum in fundo apparuerit, limpidum liquorem in aliud vas diligenter transfunde, ac iterum digere; quem ubi rurſus per inclinationem perfecte depuraveris, cum
Sacchari albi ——— Libris duabus
clarifica, & coque in Syrupum.

In aſthmaticis affectibus, ubi a craſſa ac viſcida pituita ſuffocationis periculum imminet.

DOSIS ad Cochlear dimidium.

SYRUPUS CHALYBEATUS.

℞. Vini Chalybeati,
Sacchari albi, ——— ana Partes Æquales.

Coque in vaſe fictili vitreato ad juſtam Syrupi conſiſtentiam.

Ad obſtructiones auferendas valet plurimum.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Unciam unam.

SY-

SYRUPUS ACETOSUS.

℞. Aceti optimi albi a fæcibus depurati — Libram unam:

Sacchari albi ———————— Libras tres.

Clarificato Saccharo, & ad Manus Chriſti ſpiſſitudinem propemodum cocto, Acetum affunde, & recoque tantillum in vaſe fictili, ut fiat Syrupus juſtæ conſiſtentiæ.

Bilis acrimoniam infringit, urinam movet, putredini reſiſtit.

SYRUPI CARDIACI JULAPIA VULGO DICTI.

JULAPIUM ROSATUM.

℞. Aquæ Roſarum odoratiſſimæ — Uncias ſexdecim:

Sacchari albiſſimi ———————— Libras quatuor.

Clarificato Saccharo, & ad conſiſtentiam Manus Chriſti perducto, affundatur paullatim Aqua Roſarum, & recoquatur leniſſimo igne in Syrupum ſive Julapium.

Cor reficit, ſpiritus recreat, æſtum compeſcit, ſitim extinguit.

JULAPIUM GEMMATUM
QUERCETANI.

℞. Tincturæ Gemmarum — Unciam unam & ſemis:
Sacchari albiſſimi ——————— Libram unam.

Eodem ordine procedes, ut in Julapio Roſato.

JULAPIUM PERLATUM
QUERCETANI.

℞. Tincturæ Margaritarum — Unciam unam & ſemis:
Sacchari albiſſimi ——————— Libram unam.

Fiat ut ſupra Julapium.

Mira de utroque Julapio, Gemmato ac Perlato, Quercetanus auctor pollicetur.

JULAPIUM DE CORALLIIS
QUERCETANI.

℞. Tincturæ Coralliorum rubrorum
— Unciam unam & ſemis:
Sacchari albiſſimi ——————— Libram unam.

Eadem methodo utere, ut in Julapiis proxime deſcriptis.

Refrigerat, & adſtringit.

SYRU-

SYRUPI ALTERANTES COMPOSITI.

SYRUPUS DE IBISCO COMPOSITUS FERNELII.

℞. Radicum Ibiſci ſive Althææ —— Uncias duas:
Cicerum rubrorum ———— Unciam unam:
Radicum Graminis,
Aſparagi,
Glycyrrhizæ,
Paſſularum, ———— ana Unciam ſemis:
Seminum frigidorum majorum,
minorum,
— ana Drachmas tres;
Foliorum Althææ,
Malvæ,
Parietariæ,
Pimpinellæ,
Plantaginis,
Capilli Veneris,
Adianti albi, — ana Manipulum unum.

Triturata omnia, vel inciſa decoque per gradus in Libris octo Aquæ fontis, ad conſumptionem medietatis. In decocto colato, & expreſſo diſſolve
Sacchari albi ———— Libras quatuor.

Clarifica, & coque in Syrupum.

Thoracem lenit, & urinæ ardorem compeſcit.

SY-

SYRUPUS DE SYMPHYTO FERNELII.

℞. Radicum Symphyti ſive Conſolidæ majoris,
Foliorum ejuſdem, ——— ana Manipulos tres:

Roſarum rubrarum recentium,
Foliorum Betonicæ,
Plantaginis,
Pimpinellæ,
Centinodiæ,
Scabioſæ,
Tuſſilaginis, — ana Manipulos duos.

Expreſſus ex omnibus ſuccus per ſubſidentiam depuretur, & cum
Sacchari albi ——————— æquali pondere

fiat Syrupus ex lege artis.

Ad hæmoptyſim, & alias ſanguinis eruptiones.

SYRUPUS AD SPUTUM SANGUINIS BOYLEI.

℞. Radicum recentium Conſolidæ majoris
— Uncias ſex:
Foliorum Plantaginis —— Manipulos duodecim.

Expreſſo ſucco, ac depurato, cum
Sacchari albi ——————— æqua portione

fiat Syrupus ſecundum artem.

SY-

SYRUPUS DE HYSSOPO COMPOSITUS MESUÆ.

℞. Summitatum Hyſſopi,
Radicum Apii,
Fœniculi,
Petroſelini,
Glycyrrhizæ, — ana Drachmas decem:

Herbæ Capilli Veneris, ——— Drachmas ſex:

Hordei mundi ———————— Unciam ſemis:

Paſſularum ———— Unciam unam & ſemis:

Seminum Malvæ,
Cydoniorum,
Tragacanthi, ———— ana Drachmas tres:

Jujubas,
Fructus Sebeſten, ——— ana Numero triginta:

Caricas pingues,
Dactylos maturos, ——— ana Numero decem:

Decoque in Libris quatuor Aquæ fontis, ad conſumptionem medietatis: decoctum cola, & fortiter exprime: in expreſſo diſſolve
Penidiorum ————————— Libras duas.

Coque in Syrupum.

Ad frigidas thoracis affectiones ſuperandas plurimum valet.

SY-

SYRUPUS CAPILLORUM VENERIS COMPOSITUS.

℞. Foliorum Capilli Veneris —— Uncias quinque:
Glycyrrhizæ rasæ ———————— Uncias duas.

Macera per horas XXIV. in Aquæ fontis Libris quatuor: decoque ad dimidias: cola, & in expresso dissolve
Penidiorum —————————— Uncias octo:
Sacchari albi ———————— Uncias sexdecim.

Confice Syrupum ex arte.

Ad thoracis affectus, & nephriticas passiones cumprimis efficax habetur.

SYRUPUS DE JUJUBIS MESUÆ.

℞. Jujubas ————————— Numero sexaginta:
Violarum,
Seminum Malvæ, —— ana Drachmas quinque:
Glycyrrhizæ,
Foliorum Capilli Veneris,
Hordei mundi, ——— ana Unciam unam:
Seminum Cydoniorum,
Papaveris albi,
Melonum,
Lactucæ,

Tra-

Tragacanthi, ———————— ana Drachmas tres.

Coque in Libris quatuor Aquæ pluviæ ad medietatis consumptionem, & facta expressione, cum
Sacchari albi ———————— Libris duabus

fiat Syrupus ex lege artis.

Sputi crudioris coctionem promovet, raucis, tussientibus, pleuriticis confert.

SYRUPUS DE GLYCYRRHIZA
MESUÆ.

℞. Glycyrrhizæ contusæ ———————— Uncias duas:
Herbæ Capilli Veneris ———— Unciam unam;
Summitatum Hyssopi exsiccatarum
— Unciam semis.

Macera per diem in Aquæ calentis Libris quatuor: decoque ad dimidias, cola, & in expresso dissolve
Penidiorum,
Sacchari albissimi,
Mellis optimi, ———————— ana Uncias octo:

Clarifica, & coque ad Syrupi densioris consistentiam: sub finem adde
Aquæ Rosarum ———————— Uncias sex.

Rursus ferveat leni calore ad aliquot ebullitiones, dum acquirat debitam spissitudinem.

Tussi antiquæ, pleuritidi, aliisque thoracis affectibus opitulatur.

SYRUPUS RESUMPTIVUS
SIVE
DE TESTUDINE RENODÆI.

℞. Carnis Teſtudinum terreſtrium — Uncias quatuor:
Hordei mundi ——————— Uncias duas:
Pulpæ Dactylorum ————— Unciam unam:
Zibebarum,
Glycyrrhizæ, ————— ana Drachmas ſex:
Fructus Sebeſten,
Jujubas, ————— ana Numero duodecim:
Seminum Bombacis,
Melonum,
Cucumeris,
Citrulli, ——— ana Unciam ſemis:
Lactucæ,
Papaveris albi, — ana Drachmas duas:
Foliorum Tuſſilaginis,
Pulmonariæ, — ana Manipulum unum:
Violarum,
Florum Nymphææ, ——— ana Unciam ſemis.

Decoque per gradus in Libris ſex Aquæ fontis ad dimidias: decoctum cola, & in expreſſo diſſolve
Sacchari albi ——————— Libras duas:
Tabellarum Manus Chriſti Roſatæ,
Diatragacanthi Frigidi,
— ana Libram ſemis.

Cla-

Clarifica, & coque in Syrupum.

Macie confectis prodest, phthisicis, tabidis, & iis, qui prava pulmonum diathesi laborant.

SYRUPUS DE ERYSIMO
Lobelii.

℞. Erysimi florescentis ——————— Manipulos sex:

Radicum Enulæ Campanæ,
Tussilaginis,
Glycyrrhizæ, ——— ana Uncias duas:

Foliorum Borraginis,
Cichorii,
Capilli Veneris,
— ana Manipulum unum & semis:

Florum quatuor Cordialium,
Rorismarini,
Betonicæ, ——— ana Manipulum semis.

Incisa omnia, vel, si opus fuerit, contusa macerentur in

Aquæ Hordei,
Hydromelitis, ——————— ana Libris tribus:

Succi Erysimi ——————————— Unciis sex.

Decoquantur ad dimidias, & facta colatura, in decocto expresso dissolve

Sacchari albi ——————————— Libras tres.

Clarifica, & coque in Syrupum.

Viscidos humores & crassos attenuat, raucedini medetur.

SYRUPUS DE QUINQUE RADICIBUS.

℞. Radicum Apii,
Fœniculi,
Petroſelini,
Ruſci,
Aſparagi, ——— ana Uncias duas.

Macerentur, & bulliant in Aquæ fontis Libris decem ad conſumptionem medietatis, & cum
Sacchari albi ——————— Libris quinque

fiat Syrupus ſecundum artem.

Humores craſſos incidit, urinas provocat, hepatis ac lienis obſtructiones reſerat.

SYRUPUS DE DUABUS RADICIBUS.

℞. Radicum Petroſelini,
Fœniculi, ——— ana Uncias duas.

Macerentur, ut ſupra, & bulliant in Aquæ fontis Libris quatuor ad dimidias; inde cum
Sacchari albi ——————— Libris quatuor

fiat Syrupus ex lege artis.

Syrupi proxime deſcripti vires propemodum adæquat.

SYRUPUS ANTISCORBUTICUS FORESTI.

℞. Succi defæcati Cochleariæ,
Beccabungæ, — ana Libram ſemis:
Sacchari albi ——————— Libram unam.

Clarificato Saccharo, & ad conſiſtentiam Manus Chriſti perducto, Succos paullatim affunde, & levi ebullitione ad juſtam ſpiſſitudinem redige.

SYRUPUS DE ARTEMISIA CUM CASTOREO

LEMERY.

℞. Foliorum Artemiſiæ ———— Manipulos tres.

Infunde per horas duodecim in
Aquæ Artemiſiæ ——————— Libris quatuor.

Coque ad dimidias: decoctum cola, & in expreſſo diſſolve
Sacchari albi ——————— Libras duas.

Clarifica & coque in Syrupum: ſub finem vero coctionis adde, quæ ſequuntur, nodulo incluſa:
Salis fixi Artemiſiæ ———— Unciam ſemis:
Cinnamomi ——————— Drachmas tres:
Caſtorei,
Nardi Indicæ, ——— ana Drachmam unam.

Syrupum perfecte coctum cum ſuo nodulo in uſum repone.

Suppreſſos menſes, aut parcius fluentes movet, uteri ſtrangulatus ac ſubverſiones ſedat.

SY-

SYRUPUS DE BETONICA COMPOSITUS
PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ.

℞. Foliorum Betonicæ ——— Manipulos tres:
Summitatum Majoranæ – Manipulum unum & ſemis:
Thymi,
Roſarum rubrarum, — ana Manipulum unum:
Violarum,
Foliorum Salviæ,
Comarum Stœchados, — ana Manipulum ſemis:
Radicum Pæoniæ,
Polypodii,
Fœniculi, — ana Drachmas quinque:
Seminum Aniſi,
Ammeos,
Fœniculi, —— ana Unciam ſemis.

Triturata omnia, vel inciſa decoque in Aquæ fontis Libris octo, ad conſumptionem tertiæ partis: decoctum cola, & colato adde
Succi Betonicæ depurati ——— Libras duas:
Sacchari albi ————— Libras quatuor.

Clarifica, & coque in Syrupum.

Cerebrum roborat, ad paralyſim, epilepſiam, cephalalgiam, alioſque capitis affectus in primis utilis.

SY-

SYRUPUS DE STOECHADE
Fernelii.

℞. Comarum Stœchados ——— Uncias quatuor:
Thymi Orientalis,
Origani Orientalis,
Calaminthæ Montanæ,
— ana Unciam unam & ſemis:
Foliorum Salviæ,
Betonicæ,
Florum Roriſmarini, ——— ana Unciam ſemis:

Seminum Rutæ,
Pæoniæ,
Fœniculi, ——— ana Drachmas tres.

Triturata omnia decoque leniſſime in Libris ſex Aquæ fontis, in olla clauſa, donec remaneant Libræ circiter quinque: decoctum cola, fortiter exprime, & in eo diſſolve
Sacchari albi,
Mellis optimi, ——— ana Libras duas.

Clarifica, & coque in Syrupum; cui ſub finem coctionis adde, quæ ſequuntur, nodulo incluſa:
Cinnamomi,
Zingiberis,
Acori, ——— ana Drachmas duas.

Fiat Syrupus juſtæ conſiſtentiæ, cum ſuo nodulo reponendus.

Ad paralyſim, epilepſiam, convulſionem, & alias nervorum paſſiones a cauſa frigida.

SY-

SYRUPI PURGANTES SIMPLICES.

SYRUPUS ROSATUS SOLUTIVUS
VULGO
MUCHARUM ROSATUM.

℞. Infuſi Roſarum ſolutivi,
Sacchari albi, ———— ana Partes Æquales.

Clarifica, & coque in Syrupum.

Alvum mollit, morboſæ ſitis cauſam removet, viſcera refrigerat, & humectat.

DOSIS ab Unciis tribus ad Uncias ſex.

SYRUPUS VIOLATUS SOLUTIVUS
VULGO
MUCHARUM VIOLATUM.

℞. Infuſi Violarum ſolutivi,
Sacchari albi, ———— ana Partes Æquales.

Fiat Syrupus ſecundum artem.

Uſus idem ac proxime deſcripti, eademque Doſis.

SYRUPUS ANGELICUS.

℞. Rosarum communium semiapertarum, & matutino rore madentium — Libram unam.

Infunde in Libris quatuor Sacchari albi in Aqua dissoluti, & post clarificationem ab igne remoti. Sequenti die rursus eandem quantitatem Rosarum roridarum affunde, & ita perge per aliquot dies, quoad Rosæ non amplius decolorentur: tum facta forti expressione, Saccharum colatum recoque ad justam consistentiam Syrupi.

Clementer purgat, biliosos humores sine molestia eliminat, & hypochondriacis affectibus succurrit.

DOSIS ab Unciis tribus ad Uncias quinque.

SYRUPUS FLORUM PERSICÆ.

℞. Florum Persicæ recentium ——— Libram unam.

Infunde in Libris quatuor Aquæ fontis subfervidæ, & macera per noctem in loco calido: facta expressione, rursus eandem quantitatem florum affunde, & iterum macera; infusionem tertia vice repete; & in ultimo infuso fortiter expresso dissolve
Sacchari albi ——————— Libras duas & semis.

Clarifica, & coque in Syrupum.

Alvum leniter solvit, aquas ac bilem educit, vermes necat, mesenterii & aliorum viscerum infarctus attenuat.
DOSIS ab Uncia una ad Uncias tres.

SYRUPUS DE SPINA CERVINA.

℞. Succi depurati Baccarum Spinæ Cervinæ,
Sacchari albi, ———— ana Partes Æquales.

Clarifica, & coque in Syrupum.

Ad ſeroſos humores educendos in chronicis affectibus.

DOSIS a Drachmis duabus ad Unciam unam & ſemis.

SYRUPI PURGANTES COMPOSITI.

SYRUPUS DE CICHORIO CUM RHABARBARO NICOLAI FLORENTINI.

℞. Foliorum Cichorii ſativi,
ſilveſtris,
Endiviæ ſativæ,
ſilveſtris,
— ana Manipulos duos:
Sonchi,
Lactucæ,
Scariolæ,
Hepaticæ,
Fumariæ,
Lupuli, ——— ana Manipulum unum:
Hordei integri,
Fructuum Alkekengi,
— ana Unciam unam & ſemis:

Gly-

Glycyrrhizæ,
Comarum Cuſcutæ,
Foliorum Aſplenii,
Capilli Veneris,
Adianti albi, — ana Drachmas quinque:

Radicum Aſparagi,
Fœniculi,
Apii, ———— ana Uncias duas:

Inciſa omnia, vel ſi opus fuerit contuſa, decoque per gradus in Libris octo Aquæ fontis, ad conſumptionem medietatis: cola, & in expreſſo diſſolve
Sacchari albi ———— Libras quatuor.

Clarifica, & coque in Syrupum: addito ſub finem Infuſo facto ſecundum artem ex
Rhabarbari ———— Unciis duabus:

Nardi Indicæ ———— Drachmis quatuor:

Aquæ Cichorii ———— quantitate ſufficienti.

Rurſus leniter coque, & Syrupum rite inſpiſſatum ad uſum ſerva.

Ad obſtructiones hepatis, lienis, & aliorum viſcerum reſerandas; cachexiam, nephritidem, epilepſiam puerorum a lumbricis excitatam, & melancholicas paſſiones reprimendas commode uſurpatur.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Unciam unam & ſemis.

Mos fuit olim a Majoribus receptus, ut Rhabarbarum, & Nardum nodulo ex tela rarioris texturæ confecto includerent, ac, certa lege, Syrupo immitterent: conſtat vero ex Infuſo, ea qua diximus ratione adjuncto, efficaciorem vim Rhabarbari Syrupo conciliari.

SYRUPUS DE POMIS SOLUTIVUS

SABOR REGIS.

℞. Sennæ Orientalis ———————— Uncias quatuor:

Seminum Anisi ———————— Unciam semis.

Infunde & macera per horas XXIV in
Succi depurati Pomorum dulcium — Libris tribus:

Borraginis,
Buglossæ, —— ana Libris duabus.

Post lenem ebullitionem cola, & in expresso dissolve
Sacchari albi ———————— Libras tres.

Clarifica, & coque in Syrupum; cui sub finem superadde in nodulo
Croci Orientalis ———————— Drachmas duas.

Nodulum inter coctionem sæpius exprime, & cum eo Syrupum usui repone.

Efficacissimus habetur ad melancholicos humores temperandos, sanguinem depurandum, menses provocandos.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Uncias duas.

SYRUPUS CACHECTICUS

FERNELII.

℞. Radicum quinque aperientium — ana Uncias duas:

Florum quatuor cordialium — ana Pugillum unum:

Fo-

Foliorum Agrimoniæ,
Aſplenii,
Capilli Veneris,
Comarum Cuſcutæ, —— ana Manipulum ſemis:

Seminum Carthami contuſorum — Unciam unam:

quatuor frigidorum majorum
— ana Unciam ſemis:

Sennæ Orientalis,
Radicum Polypodii, ——— ana Uncias duas:

Agarici ——————— Drachmas duas:

Cinnamomi ——————— Unciam ſemis.

Macerentur omnia per horas XXIV. in
Aquæ Cichorii,
Agrimoniæ, ——— ana Libris tribus.

Bulliant ad conſumptionem medietatis, & facta colatura cum forti expreſſione, in ea diſſolve
Sacchari albi ——————— Libras tres.

Clarifica, & coque in Syrupum; cui circa finem coctionis ſuperadde in nodulo rarioris texturæ
Rhabarbari ——————— Unciam ſemis:

Nardi Indicæ ——————— Scrupulos duos.

Syrupum perfecte coctum cum ſuo nodulo in uſum repone.

Alvum molliter ſolvit, viſcera deobſtruit, cachexiæ, ceteriſque morbis ab ea provenientibus occurrit.

DOSIS ab Uncia una ad Uncias duas.

SYRUPUS DE POLYPODIO.

℞. Radicum Polypodii ——————— Libram unam:
Passularum ——————————— Libram semis:
Myrobalanorum Citrinarum,
Chebularum,
Indarum, — ana Unciam unam & semis:
Radicum Acori ——————— Drachmas decem:
Seminum Fœniculi ——————— Unciam unam.

Contunde, & macera per diem in
Succi depurati Rosarum communium,
Borraginis, ——— ana Libra una:
Aquæ fontis ——————————— Libris octo.

Decoque ad dimidias: decoctum cola, & adde
Epithymi ——————————— Unciam unam:
Sennæ Orientalis ——————— Uncias sex:
Rhabarbari,
Cinnamomi, ——————— ana Unciam semis.

Maneant infusa per horas XXIV. bulliant rursus ad unicam ebullitionem: cola & fortiter exprime: in colatura dissolve
Sacchari albi ——————— Libras quinque.

Clarifica, & coque in Syrupum.

Crassos, & viscidos humores attenuat, atram bilem dejicit, lienisque affectibus succurrit.

DOSIS ab Unciis tribus ad Uncias quinque.

SYRUPUS DE HELLEBORO QUERCETANI.

℞. Fibrarum Hellebori nigri ——— Drachmas ſex:
Sennæ Orientalis ——————— Uncias duas:
Turpethi,
Hermodactylorum, ——— ana Unciam unam:
Agarici,
Seminum Aniſi,
Fœniculi,
Corticum Citrei, ——— ana Unciam ſemis:
Caryophyllorum,
Macis,
Cinnamomi, ————— ana Drachmas duas.

Infunde in
Oxymelitis ſimplicis,
Vini Malvatici,
Aquæ Meliſſæ,
Fumariæ, —————— ana Libra una.

Macera in vaſe vitreo clauſo per dies quatuor in Balneo Maris; poſtea leniter decoque ad conſumptionem medietatis, & in colatura diſſolve
Sacchari albi ———— Libram unam & ſemis.

Clarifica, & coque in Syrupum juſtæ conſiſtentiæ.

Morbis efficaciter ſubvenit, quos materies tartarea, craſſa, ac tenax in capite, thorace, ventriculo, hepate, liene, utero, ipſiſque articulis excitat, ac fovet.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Unciam unam.

ME-

MELITA ALTERANTIA.

MEL ROSATUM SIMPLEX.

℞. Rosarum communium repurgatarum — Libras sex.

Infunde, & macera in Aquæ fontis Libris duodecim: infuso colato adde

Mellis albi ——————— Æquale Pondus.

Despuma, & coque ad Syrupi consistentiam.

Adstringendi vi pollet, ac roborandi.

MEL VIOLATUM SIMPLEX.

Ex Violis fiat eadem ratione, ac Mel Rosatum ex Rosis.

Usus in clysteribus ad emolliendum.

DIAMORON GALENI.

℞. Succi depurati Mororum Rubi,

Mellis albi, ——————— ana Partes Æquales.

Despuma, & coque ad Syrupi consistentiam.

In levioribus faucium & gutturis inflammationibus passim usurpatur.

HY-

HYDROMEL SIVE MELICRATUM
SIMPLEX.

℞. Mellis optimi ———————— Libram unam:
Aquæ puræ ————————— Libras octo.

Decoque ad perfectam Mellis despumationem; &, si diutius servandum fuerit, ad Syrupi fere consistentiam.

Puris, & pituitæ crassæ exscreationem promovet, sitim sedat, & calculosis prodest.

HYDROMEL CUM SUCCO CERASORUM
QUERCETANI.

℞. Mellis optimi ———————— Libras duas:
Aquæ fontis ——————— Libras duodecim.

Coque simul ad despumationem Mellis, & adde
Succi Cerasorum acidulorum —— Libram unam.

Rursus leniter coque, spumam auferendo accuratissime, quantum fieri potest, & coctum Hydromel ad justam consistentiam in usum serva.

Sitim in morbis acutis extinguit.

Simili ratione ex aliis acidis succis confici possunt Hydromelita.

HYDROMEL COMPOSITUM.

℞. Paſſularum ———————— Uncias ſex:

Jujubarum ———————— Uncias tres:

Radicum Enulæ Campanæ,
Glycyrrhizæ, —— ana Unciam unam:

Foliorum Tuſſilaginis,
Hederæ terreſtris,
Violarum, ———— ana Manipulum unum.

Triturata omnia, vel inciſa decoque in Libris duodecim Aquæ fontis, ad remanentiam tertiæ partis: decoctum cola, & adde
Mellis optimi ———— Libras quatuor.

Deſpuma, & coque ad juſtam ſpiſſitudinem.

Ad tuſſim antiquam, ſputum glutinoſum, & ſpirandi difficultatem.

OXYMEL SIMPLEX.

℞. Aceti optimi ———————— Libras duas:

Mellis albi ———————— Libras quatuor.

Deſpuma, & coque ſecundum artem in vaſe terreo ad juſtam Syrupi conſiſtentiam.

Valet ad humores craſſos & viſcidos incidendos.

OXY-

OXYMEL COMPOSITUM SIVE DE RADICIBUS MESUÆ.

℞. Radicum quinque aperientium,
— ana Unciam unam:
Seminum Apii,
Fœniculi,
Anisi, ——— ana Unciam semis.

Decoque in sufficienti quantitate Aquæ fontis, ad remanentiam Librarum duarum: decocto colato adde
Aceti acerrimi ——— Libras tres:
Mellis albi ——— Libras quatuor.

Despuma, & coque in vase terreo ad debitam consistentiam.

Incidit & attenuat efficacius quam simplex, hepatis, lienis, ac renum obstructiones aperit.

OXYMEL SCILLITICUM.

℞. Aceti Scillitici ——— Libras duas:
Mellis albi ——— Libras quatuor.

Despuma, & coque in vase terreo ad consistentiam Syrupi.

Humores crassos, lentos, & eradicatu difficiles extenuat; epilepticis & asthmaticis confert; uberius vero assumptum vomitum ciet.

DOSIS a Drachmis duabus ad Unciam unam.

MELITA PURGANTIA.

MEL ROSATUM SOLUTIVUM.

℞. Infuſi Roſarum ſolutivi,
Mellis albi, ———————— ana Partes Æquales.

Deſpuma, & coque ad conſiſtentiam Syrupi.

Bilioſos humores, ac pituitoſos citra moleſtiam ſolvit.

DOSIS ab Unciis quatuor ad Uncias ſex.

MEL VIOLATUM SOLUTIVUM.

℞. Infuſi Violarum ſolutivi,
Mellis albi, ———————— ana Partes Æquales.

Deſpuma, & coque ad juſtam conſiſtentiam.

Alvum lubricat, pulmonem & tracheam abſtergit.

DOSIS ab Unciis quatuor ad Uncias ſex.

SECTIO IX.

QUÆ EST
DE
SUCCIS VINIS ET ACETIS.

SUCCI DEPURATI.

SUCCUS CICHORII DEPURATUS.

℞. Cichorii virentis ———— quantum placet.

Tunde in pila marmorea, & per torcular fortiter exprime: Succus expreſſus quieſcat aliquantiſper, dum fæces craſſiores ſubſideant. Injecta albuminis ovi quantitate ſufficienti, clarificetur ex arte, & trajiciatur per manicam Hippocratis: filtratus in lagenis vitreis, Oleo ſuperpoſito, ad uſum ſervetur.

Maſſam ſanguinis temperat, corrigit, ac refrigerat.

Pari ratione aliis ex herbis extrahuntur Succi, ac depurantur; quæ omnes eo tempore, quo ſucco plurimum turgent, colligendæ.

SUCCUS GRANATORUM DEPURATUS

SIVE

VINUM EX MALIS GRANATIS.

℞. Granatorum maturorum —— quantum placet.

Expreſſus ex acinis Succus, ſine ulla clarificatione, per ſolam ſubſidentiam fæcum, & transfuſionem de vaſe in aliud vas depuretur, ac reponatur ad uſum in loco frigidiuſculo, perinde ac ceteri Succi.

Ad cohibendam diarrhœam, alioſque fluxus vulgo expetitur.

Et ex aliis vinoſis fructibus non diſſimili artificio Succos elicies, ac depurabis.

SUCCI SCORBUTICI

BATEI.

℞. Succorum Cochleariæ utriuſque,
Beccabungæ,
Naſturtii aquatici, — ana Uncias octo:
Aurantiorum — Uncias decem:
Sacchari albi ———————— Uncias ſex.

Miſce, & trajice pluries per manicam dictam Hippocratis ad claritatem rubicundam; mox vitreis in lagenis repoſitos uſui ſerva.

DOSIS ab Unciis duabus ad Uncias quatuor.

VI.

VINA ALTERANTIA.

VINUM CHALYBEATUM SIMPLEX.

℞. Limaturæ Martis ———— Unciam unam.

Affunde

Vini albi generosi ———— Libram unam.

Maneant per triduum in loco frigido, & sæpe interim agitentur; postea separetur liquor per inclinationem.

Deobstruit, & roborat.

VINUM CHALYBEATUM COMPOSITUM
CODICIS PARISIENSIS.

℞. Limaturæ Martis ———— Unciam unam.

Infunde per horas XXIV. in

Vini albi generosi ———— Libra una;

quo facto adde

Aquæ fluvialis ———— Libras quatuor:

Radicum Eryngii ———— Unciam unam:

Malum Aurantium amarum, cum cortice incisum — Numero unum:

Cinnamomi contriti ——— Drachmam unam.

Ma-

Macera per biduum, vas agitando, & colatum in usum serva.

Datur cum fructu in obstructionibus; itemque in stomachi, & aliorum viscerum imbecillitate.

VINUM MARTIALE

LEMERY.

℞. Croci Martis aperientis sine igne præparati
— Uncias quatuor:

Cinnamomi,
Corticis exterioris Aurantiorum amarorum,
— ana Drachmas duas:

Macis ———————— Drachmam unam:

Croci ———————— Drachmam semis:

Infunde in
Vini albi generosi ———— Libris quinque.

Digere per dies XV. cola, & in usum serva.

Ad viscera obstructa reseranda, & ad menses provocandos.

VINUM VIPERATUM

WEDELII.

℞. Viperas fœminas in frusta concisas
— Numero duas:

Limaturæ Martis ———— Uncias duas:

Nu-

Nucis Moſchatæ,
Cinnamomi, — ana Drachmam unam & ſemis:

Aurantiorum ——— Numero duorum Succum:

Infunde in Vini Hiſpanici, vel Cyprii Libris decem: digere in Balneo Arenæ per dies duodecim, & in uſum filtra.

Febribus intermittentibus contumacioribus, & quartanis diuturnis auxilio eſt.

VINUM HIPPOCRATICUM DONZELLI.

℞. Cinnamomi ———— Unciam unam & ſemis:

Caryophyllorum ———— Drachmas ſex:

Cardamomi majoris,
minoris, —— ana Drachmas duas:

Nucis Moſchatæ,
Macis, ——— ana Drachmam unam & ſemis:

Benzoini ———— Drachmas tres:

Sacchari albi ———— Libram unam & ſemis.

Omnia mediocriter trita infunde in
Vini generoſi albi, vel rubri —— Libris decem.

Macera per triduum, cola per manicam dictam Hippocratis, & in uſum ſerva.

Ad ſtomachum recreandum.

VINA PURGANTIA.

VINUM PURGANS
QUERCETANI.

℞. Sennæ Orientalis ——————— Unciam ſemis:
Cinnamomi ——————— Drachmam ſemis:
Caryophyllos ——————— Numero quinque:
Sacchari albi ——————— Drachmas ſex.
Infunde in
Vini albi ——————— Unciis octo.

Macera in vaſe vitreo clauſo per dies tres, cola & in uſum ſerva.

Purgat blande per epicraſim.

DOSIS ad duo Cochlearia mane & veſpere per aliquot dies.

VINUM EMETICUM
VULGO
AQUA BENEDICTA RULANDI.

℞. Croci Metallorum ——————— Drachmas duas.
Infunde in
Vini auſteri ——————— Unciis octo.

Ma-

Macera per triduum in vaſe vitreo, & Vinum per inclinationem ſeparatum ad uſum ſerva.

DOSIS a Drachmis duabus ad Unciam unam.

ACETA ALTERANTIA.

ACETUM ROSATUM.

℞. Roſarum communium recentium & repurgatarum — Libras tres.

Infunde in
Aceti fortiſſimi ———————— Libris octo.

Inſola per dies triginta, & Acetum colatum in uſum ſerva.

Ad vires reficiendas extrinſecus admovetur.

ACETUM CONFORTANS
JUNGKEN.

℞. Foliorum Rutæ,
Summitatum Lavandulæ,
Florum Caryophylli hortenſis,
Citrei, ——— ana Manipulum unum:
Cinnamomi ———————— Drachmas tres:
Macis ————————— Drachmas duas:

Caryophyllorum ——— Drachmam unam.

Incisis, & crasse contusis affunde
Aceti optimi ——— Libras tres.

Maneant per dies aliquot, donec Acetum sit probe imprægnatum; cola, & in usum serva.

ACETUM ANTIPESTILENTIALE
VULGO
ACETO DE' QUATTRO LADRI.

℞. Foliorum Menthæ,
Salviæ,
Rutæ hortensis,
Lavandulæ,
Absinthii,
Rorismarini, — ana Manipulum unum.

Incisis affunde
Aceti albi acerrimi ——— Libras sex.

Maneant infusa in vase vitreo clauso intra Balneum calens per horas XLVIII. Ferveat Balneum unius horæ spatio, dein refrigescat. Acetum cola cum forti expressione, & in expresso dissolve
Camphoræ rasæ ——— Unciam unam.

Mox in vitreis lagenis bene obturatis ad usum reconde.

Ad os & nares colluendas in halituum pestilentium suspicione.

ACE-

ACETUM SCILLITICUM

GALENI.

℞. Scillæ ſucculentæ laminas medias inter centrum & extimam tunicam.

Conſue diſtincte, & trajice per filum acu lignea: ſicca in umbra per dies quadraginta, poſtea divide in ſegmenta; quo facto ſume
Scillæ ita præparatæ ———— Libram unam:
Aceti optimi ———————— Libras octo.

Digere ſimul in vaſe vitreato ſtricti oris, optime cooperto; relinque ſub Sole per alios quadraginta dies, & colatum in uſum ſerva.

Incidit, attenuat, & abſtergit craſſos & viſcidos humores.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Unciam unam.

OXYCRATUM SIVE POSCA.

℞. Aceti acerrimi,
Aquæ puræ, ———— ana Partes Æquales.
Miſce.

Ad ſitim levandam.

ACETUM SOLUTIVUM
REDII.

℞. Radicum Polypodii recentium
— Unciam unam & ſemis.

Minutim inciſis affunde
Aceti albi acerrimi ———————— Libras tres.

Macera per triduum; collocato deinde vaſe in loco tepido, ſuperadde
Sennæ Orientalis ——— Unciam unam & ſemis:

Mannæ electæ ———————— Unciam unam:

Coriandrorum ———————— Scrupulos duos.

Infuſa maneant per triduum in loco calido: Acetum colatum uſui ſerva.

Alvum lenit, ſi acetaria eo condiantur.



SECTIO X.

QUÆ EST DE INFUSIS ET DECOCTIS.

INFUSA ALTERANTIA.

INFUSUM FLORUM PAPAVERIS RHOEADOS.

℞. Florum Papaveris Rhœados exſiccatorum — Unciam ſemis.

Affunde
Aquæ ſubfervidæ ——————— Libram unam.

Maneant aliquantiſper cooperto vaſe, ut Infuſum rubicundo colore imbuatur: colatum Saccharo dulcificetur ad gratiam.

Pleuriticis ac tuſſientibus ſolatium præbet.

INFUSUM ROSARUM RUBRARUM.

Paratur eadem ratione ut Infuſum Florum Papaveris Rhœados; eodemque pertinent reliquorum florum Infuſa.

In febribus æſtuantibus ad refrigeranda viſcera & confortanda plurimum commendatur.

INFUSUM HERBARUM
VULGO DICTUM
THEE GERMANICUM.

℞. Foliorum Betonicæ,
Salviæ, — ana Unciam unam & ſemis:

Veronicæ,
Linguæ Cervinæ,
Hederæ terreſtris,
Tuſſilaginis,
Scabioſæ, ———— ana Uncias tres.

Exſiccata ac mediocriter trita ſimul commiſceantur; & ex Drachmis duabus herbarum ita permiſtarum fiat Infuſio in Libra una Aquæ ferventis, ad modum Herbæ Thee.

Uſus in defluxionibus catarrhalibus, raucedine, ac tuſſi.

INFUSUM HERBARUM
VULGO DICTUM
THEE HELVETICUM.

℞. Foliorum Alchimillæ,
Betonicæ,
Pyrolæ,
Saniculæ,
— ana Manipulos duos:
Florum Borraginis,
Caryophyllorum hortensium,
— ana Manipulum unum.

Similiter præpara, ut Thee Germanicum.

Obstructis imi ventris visceribus, & male affectis renibus conducit: adversus melancholicas passiones, asthma, raucedinem, phthisim, scorbutum, arthritidem præsidio est: ad vulnerarias etiam potiones cum fructu adhibetur.

INFUSUM AMARUM SIMPLEX
PHARMACOPOEIÆ LONDINENSIS.

℞. Radicum Gentianæ,
Galangæ, — ana Drachmam unam:
Summitatum Absinthii Romani,
Flavedinis siccæ Aurantiorum Portugallicorum,
Cardamomi enucleati, — ana Drachmam unam.

In Libra una Aquæ bullientis fiat Infusum, frigide colandum.

Deobstruendi vi pollet, ac roborandi.

INFUSUM CICHORII GERMANORUM
VULGO
SANGUIS CICHORII.

℞. Foliorum Cichorii ——————— Uncias ſex:
Salis Tartari ——————— Drachmas tres.
Infunde per noctem in
Aquæ Cichorii ferventis ——— Libris tribus.

Facta deinde forti expreſſione, Cichorii folia ſine ſale Tartari ad eandem menſuram immitte, ut fiat ſecunda infuſio: huic tertia accedat, cum foliis pariter ſine ſale Tartari: erit ultimum Infuſum rite colatum Sanguis Cichorii.

Maſſam ſanguineam a pravis humoribus depurat, acrimoniam corrigit, & ſeroſos humores blande ſubducit.

INFUSA PURGANTIA.

INFUSUM ROSARUM SOLUTIVUM.

℞. Roſarum communium repurgatarum
— Libram unam.

Infunde in Libris quatuor Aquæ ſubfervidæ, & macera per horas XII. in loco calido: facta expreſſione, rurſus eandem Roſarum quantitatem affunde, & ite-

iterum macera: sic perge affusionem decies aut pluries iterando, quoad Rosæ colorem non amplius amittant. Ultimo percolatus liquor erit Infusum Rosarum solutivum.

INFUSUM VIOLARUM SOLUTIVUM.

Ex Violis conficitur eadem ratione, ut Infusum Rosarum; sed repetitæ illæ affusiones intra quatuor dies absolvendæ.

Usus Infusi utriusque ad Syrupum, ac Mel Solutivum, Rosatum, & Violatum.

INFUSUM SENNÆ.

℞. Cremoris Tartari ————— Uncias tres:
Anisorum contusorum — Unciam unam & semis:
Cinnamomi ————— Drachmas duas.

Bulliant in Aquæ fontis Libris sex ad ebullitionem unicam; postea remove ab igne, & adde
Sennæ Orientalis ————— Uncias sex.

Maneant infusa per noctem, cooperto vase; deinde fiat colatura cum forti expressione, & Infusum colatum servetur ad usum.

Adhibetur communiter ad alvum solvendam.

DOSIS ab Unciis quatuor ad Uncias sex.

DECOCTA ALTERANTIA.

DECOCTUM PECTORALE.

℞. Hordei integri ——————— Libram unam:

Glycyrrhizæ,
Paſſularum, ——————— ana Uncias duas:

Caricas pingues ——————— Numero duodecim:

Jujubas ——————— Numero triginta.

Coque in Aquæ fontis Libris duodecim ad conſumptionem tertiæ partis, cola per linteum, ac per ſubſidentiam depura.

PTISANA REFRIGERANS
Fouquetæ.

℞. Avenæ repurgatæ ——————— Manipulos tres:

Foliorum Cichorii ——————— Manipulum unum.

Coque in Aquæ fontis Libris duodecim ad conſumptionem tertiæ partis, & adde
Salis Prunellæ ——————— Unciam ſemis:

Mellis albi ——————— Uncias tres.

Iterum coque ad conſumptionem medietatis, & cola ad uſum.

DE-

DECOCTUM APERITIVUM.

℞. Radicum Graminis,
Aſparagi,
Fœniculi,
Apii,
Petroſelini,
Ruſci,
Rubiæ Tinctorum,
Cicerum rubrorum, ——— ana Uncias duas.

Cum Libris decem Aquæ fontis fiat ſecundum artem Decoctum: coletur cum forti expreſſione, ac depuratum ſervetur.

DECOCTUM AMBROSIANUM

ALITER

SYRUPUS SANCTI AMBROSII.

℞. Milii decorticati ——— Uncias octo:

Coque in Aquæ fontis Libris octo ad conſumptionem tertiæ partis, addendo ſub finem
Vini albi ——— Libram unam:

Poſt refrigerationem fiat colatura, ſæpe trajicienda per manicam Hippocratis.

In arthritide & iſchiade ad proliciendum ſudorem.

DE-

DECOCTUM ANTIVENEREUM
SEPTALII.

℞. Sarſæ Parillæ ——————— Uncias ſex.

Macera per diem in Libris quindecim Aquæ calentis: bulliant in vaſe clauſo ad conſumptionem tertiæ partis: Sarſam extractam & contuſam reaffunde proprio decocto, & ſimul immitte

Carnis Vitulinæ macræ ———— Libras tres:

Coriandrorum contuſorum —— Unciam unam.

Iterum coque ad remanentiam Librarum quinque; addendo ſub finem

Cinnamomi ——————— Drachmas tres.

Cola cum forti expreſſione, & uſui ſerva.

Tabidis ex lue venerea auxilio eſt.

DECOCTUM POMPONATII
VULGO
AQUA CORSI.

℞. Sarſæ Parillæ,

Ligni Viſci Quercini, —— ana Uncias duas:

Antimonii crudi,

Lapidis Pumicis, — nodulo incluſorum ana Unciam unam & ſemis.

Infunde & macera per diem in Libris XXIV. Aquæ fontis; coque lento igne ad dimidias, & cola per linteum.

Habe-

Habetur pro leniori hidrotico ad ſtrumoſos tumores, & alios a lue venerea maxime provenientes.

DECOCTA PURGANTIA.

DECOCTUM CORDIALE SOLUTIVUM.

℞. Pruna Damaſcena ——— Numero quatuor:
Fructus Sebeſten ——— Numero ſex:
Tamarindorum ——— Drachmas duas:
Florum Borraginis,
Bugloſſæ,
Violarum, ——— ana Pugillum ſemis.

Infunde in
Aquæ Violarum,
Borraginis, ——— ana Unciis ſex.

Bulliant lento igne ad conſumptionem quartæ partis: ſub finem adde
Sennæ Orientalis ——— Drachmas tres:
Aniſorum contuſorum ——— Scrupulum unum:
Cinnamomi ——— Scrupulum ſemis.

Colatum ac depuratum Decoctum ad uſum ſervetur.

Ad diſſolvenda medicamenta purgantia.

DE-

DECOCTUM COMMUNE
PRO CLYSTERIBUS.

℞. Foliorum Malvæ,
Violariæ,
Betæ,
Mercurialis, —— ana Partes Æquales.

Cum ſufficienti quantitate Aquæ communis fiat Decoctum, quod depuratum in uſum ſervetur.

DECOCTUM CARMINATIVUM
PRO CLYSTERIBUS.

℞. Seminum Aniſi,
Dauci,
Cumini,
Fœniculi, —— ana Drachmas tres:
Glycyrrhizæ —— Unciam ſemis:
Summitatum Abſinthii —— Manipulum unum:
Florum Chamæmeli —— Manipulum ſemis:
Paſſularum —— Unciam unam & ſemis.

Coque in Libris tribus Aquæ fontis ad medietatis conſumptionem: colatum ac depuratum Decoctum in uſum ſerva.

SECTIO XI.

QUÆ EST

DE

EMULSIONIBUS

ET ALIIS

MEDICAMENTIS EXTEMPORANEIS.

EMULSIO E SEMINIBUS
Frigidis Majoribus.

℞. Seminum decorticatorum Cucurbitæ,
Melonum,
Citrulli,
Cucumeris,
— ana Drachmas duas.

In mortario marmoreo contusis paullatim affunde
Aquæ Violarum ——————————— Uncias sex.

Mistis omnibus ac dissolutis, fiat colatura cum forti expressione, modico Saccharo, si placeat, dulcificanda.

Refrigerat, humectat, ac sitim extinguit.

EMULSIO CAMPHORATA WERLHOFII.

℞. Seminum Melonum —— Unciam unam & ſemis.

Cum Aquæ Scorzoneræ Libra una fiat Emulſio; cui percolatæ admiſce
Dentis Aprini ſubtiliter pulveriſati,
Stibii diaphoretici,
Nitri depurati, ——— ana Drachmam unam:
Camphoræ raſæ ——— Scrupulos duos:
Sacchari albiſſimi ——— quantum ſufficit
ad gratum ſaporem; trito prius Saccharo diligenter cum Camphora, ut fiat perfecta miſtio.

In febribus malignis cum delirio ac convulſione.

DOSIS ad Cochlearia.

CREMOR HORDEI SIVE HORDEATUM.

℞. Hordei mundi ——— Libram unam.

Coque igne lento in ſufficienti quantitate Aquæ fontis: poſt unam vel alteram ebullitionem aquam projice, & novam affunde: rurſus coque ad mollitiem; coctum tunde, & per ſetaceum trajice: Cremori extracto adde
Sacchari albi ——— quantum ſufficit:
& ſi opus fuerit modicum recoque, ut juſtam conſiſtentiam acquirat.

Nutrit, incraſſat, ac refrigerat.

SA-

SAPONEA SOLIDA.

℞. Amygdalarum dulcium mundatarum — Uncias duas.

Contunde exactiſſime in mortario marmoreo, ſenſim affundendo

Aquæ Violarum ———————— Uncias ſex.

Trajice per ſetaceum denſum: cremori extracto admiſce

Amyli ſubtiliter pulveriſati —— Drachmas duas:

Sacchari albiſſimi ——————— Unciam unam.

Coque lento igne, uſque eo dum conſiſtentiam ſolidiuſculam acquirat.

Ad expectorationem promovendam, tuſſimque ſedandam.

SAPONEA LIQUIDA.

℞. Sacchari albiſſimi ———————— Uncias duas:

Amyli ſubtiliter pulveriſati —— Unciam unam.

Diſſolve in

Aquæ Violarum ———— quantitate ſufficienti.

Poſtea ſenſim affunde

Olei Amygdalarum dulcium —— Unciam unam.

Agita omnia ſimul, donec fuerint perfecte miſta; &, ſi velis, paullulum coque, ut ſit juſtæ conſiſtentiæ Saponea.

Idem uſus qui ſuperius deſcriptæ; immo ſola hæc apud nos paſſim uſurpatur.

MUCILAGO E SEMINIBUS
Emollientibus.

℞. Seminum Malvæ,
Althææ,
Psyllii,
Cydoniorum, — ana Scrupulum unum.

Mundata, ac leviter contusa infunde in
Aquæ Violarum ——————— Unciis sex;

deinde fortiter concute, ut extrahatur Mucilago, quæ colata & expressa, cum Sacchari albi sufficienti quantitate dulcificetur ad gratiam.

Pro linctu ad incrassandum usurpatur.

GELATINA CORNU CERVI.

℞. Rasuræ Cornu Cervi — Unciam unam & semis,

Coque leniter in Aquæ pluviæ vel distillatæ Libris tribus, ad remanentiam circiter Unciarum sex; decoctum cola, & fortiter exprime: colatum excipe vasculo vitreo, ut refrigeratum concrescat in Gelatinam.

Usus notissimus est ad promovendum sudorem.

Præscribi solet magistraliter cum Stibio Diaphoretico, vel pulveribus aliis, ante congelationem miscendis.

GELATINA EBORIS.

℞. Rasuræ Eboris ——————————— Uncias tres.

Decoque leniter in Aquæ distillatæ Libris sex, ad remanentiam Unciarum sex: decoctum fortissime expressum refrigeratione coagulabitur in Gelatinam.

Humores resolvit, ac sudores movet; in pleuritide utilis, & in aliis inflammatoriis affectibus.

GELATINA RADICIS CHINÆ.

℞. Radicum Chinæ osseæ duritiei
— Uncias quatuor & semis.

Infunde & macera in Aquæ pluviæ Libris sex, ad ignem lentum per sex horas: maceratas seca in taleolas tenues, ac decoque leniter in proprio infuso ad remanentiam Unciarum viginti: decoctum per inclinationem separa, ac seorsum serva. Radicibus residuis Libras sex Aquæ pluviæ affunde, & iterum coque ad remanentiam Unciarum viginti; cola & mediocriter exprime. His peractis, utrumque decoctum simul commistum recoque in Balneo Maris ad remanentiam Unciarum duodecim: refrigeratione Gelatinam habebis accuratissime confectam; quæ tamen simpliciori ac breviori via ex Radice Chinæ derasa, instar Gelatinæ Eboris parari potest.

In febre hectica, tabe, ac fluxionibus diuturnis,

DOSIS ad Cochlearia.

CON-

CONSUMMATUM CAPONIS.

℞. Caponis evifcerati Carnes ab offibus ac pinguedine feparatas.

Minutim diffectas, & Aqua Rofarum ablutas immitte in cucurbitam vitream lati oris, quam rite coopertam, ac pafta obturatam in Balneo Maris collocabis, ut ferveat per horas fex & amplius. Remoto ab igne vafe, per inclinationem effunde liquamen a carnibus fere diffolutis feparatum, quod erit Succus five Confummatum Caponis.

Ad vires inftaurandas.

Ex Viperarum carnibus repurgatis, & fimili modo excoctis, fuccus exprimitur frigore concrefcens: fcilicet GELATINA VIPERARUM.

POTIONES SOLUTIVÆ.

POTIO SOLUTIVA MAGISTRALIS
VULGO
SYRUPUS AUREUS SOLUTIVUS.

℞. Sennæ Orientalis ——————— Unciam femis:

Cremoris Tartari ——————— Drachmas duas:

Cin-

Cinnamomi,
Aniſorum, ——————— ana Drachmam ſemis.

Infunde in Aquæ communis tepidæ Unciis novem: macera per noctem in cinerario calido; poſt levem ebullitionem cola, & in liquore expreſſo diſſolve
Mannæ optimæ ————————— Uncias duas.

Clarifica, & cola per manicam Hippocratis.

Habebis Syrupi vel Potionis Uncias circiter quinque aut ſex, quæ conſueta doſis ad purgandum.

POTIO SOLUTIVA CUM CASSIA
VULGO
CASSIA POTABILIS.

℞. Medullæ Caſſiæ e ſiliquis extractæ
— Unciam unam:
Sennæ Orientalis ——————— Unciam ſemis:
Cremoris Tartari ——————— Drachmas duas:
Cinnamomi,
Aniſorum, ——————— ana Drachmam ſemis.

Fiat ut ſupra infuſio per noctem in Aquæ tepidæ Unciis novem: in expreſſo diſſolve
Mannæ electæ ——— Unciam unam & ſemis.

Clarifica, & cola per manicam Hippocratis.

Habebis hic pariter Uncias quinque aut ſex Potionis, doſim conſuetam pro purgatione.

POTIO REGIA SOLUTIVA.

℞. Sennæ Orientalis repurgatæ —— Drachmas tres:
Mannæ electæ ————————— Uncias duas:
Limonem in taleolas sectum —— Numero unum.
Infundantur omnia per noctem in
Aquæ fontis tepidæ ————— Unciis octo.

Mane fiat colatura cum forti expressione, ad potionem assumenda.

Commodissimus ejus usus ad alvum sine molestia laxandam.



SECTIO XII.

QUÆ EST

DE

AQUIS

ET COLLYRIIS LIQUIDIS.

AQUÆ MEDICAMENTOSÆ.

AQUA CALCIS.

℞. Calcis vivæ recentis ———————— Libram unam.

Infunde in Aquæ communis calidæ Libris ſex: liquor poſt horas XXIV. filtratus ſervetur ad uſum externum.

Reſiduæ Calci novam Aquam affunde pari quantitate; quæ poſt horas item XXIV. filtrata ſervabitur ad internos uſus.

Præter utilitates quas Chirurgis præbet, interne etiam aſſumitur in ulcerato pulmone.

DOSIS ab Uncia una ad Uncias iij. iiij. v.

AQUA CALCIS COMPOSITA.

℞. Foliorum Plantaginis,
Saniculæ,
Pyrolæ,
Hyperici, —— ana Manipulum unum.

Minute concisis insperge
Calcis vivæ pulverisatæ ———— Libras tres.

Macerentur omnia simul, donec herbæ abeant in pulverem: postea fiat affusio duplex Librarum decem Aquæ Plantaginis per horas XXIV. Aqua primæ affusionis filtrata erit pro usu externo: secundæ pariter filtrata pro usu interno.

Ad phthisicos & hæmoptyicos sublevandos commendatur, lacte aut alio liquore diluta.

DOSIS eadem fere quæ Aquæ Calcis simplicis.

AQUA PHAGEDÆNICA
Codicis Parisiensis.

℞. Mercurii Sublimati ———— Grana viginti.

Dissolve in
Aquæ Calcis ———— Libra una.

Solutionem subflavam in usum serva.

Fungosam carnem in antiquis & sordidis ulceribus consumit.

AQUA

AQUA ALUMINOSA FALLOPII.

℞. Aluminis rupei,
Mercurii Sublimati, ——— ana Drachmas duas.

Diſſolve in
Aquæ Roſarum,
Plantaginis, ——— ana Libra una.

Bulliant in vaſe vitreo ad dimidias, & poſt reſidentiam ſervetur Aqua ad uſum.

Ad ulcera, puſtulas, & aphthas ac thymos a lue venerea.

LIQUOR CATHÆRETICUS
VULGO
COLLYRIUM LANFRANCI.

℞. Auripigmenti ——— Drachmas duas:
Viridis Æris ——— Drachmam unam:
Myrrhæ,
Aloes, ——— ana Scrupulos duos.

Subtiliter trita diſſolve in
Aquæ Plantaginis,
Roſarum, ——— ana Unciis tribus:
Vini albi ——— Libra una.

Et ſic paratum liquorem in uſum ſerva.
Ad ulcuſcula potiſſimum venerea in faucibus exſiccanda.

COLLYRIA LIQUIDA.

AQUA AD OCULOS RUBENTES.

℞. Aloes Hepaticæ ———————— Unciam ſemis:
Sacchari albiſſimi ———————— Drachmas tres:
Tutiæ præparatæ ———————- Scrupulum ſemis:
Camphoræ ———————————— Grana duo.

Pulveriſata omnia diſſolve in
Succi Granatorum diſtillati ——— Unciis tribus:
Aquæ Roſarum albarum,
Fœniculi, ——————- ana Unciis duabus.

Utère pro Collyrio liquido.

Uſus in oculorum rubore, lacrymis, & prurigine.

AQUA OPHTHALMICA FOUQUETÆ.

℞. Tutiæ præparatæ ——————— Unciam unam:
Vitrioli albi ——————— Drachmam ſemis:
Macis ſubtiliter triti ——————— Unciam ſemis:
Aquarum Fœniculi,
Roſarum albarum,
Plantaginis, ——— ana Uncias octo.

Miſta

Miſta omnia ſimul in lagena vitrea obturata expone Soli æſtivo per dies octo, vas identidem agitando: ſic deinde præparatum Collyrium ad uſum ſerva.

Valet ad detergendos oculos, & roborandos.

COLLYRIUM SANCTORII.

℞. Ceruſſæ ——————— Uncias ſex:

Sacchari puriſſimi in conis —— Uncias quatuor:

Gummi Arabici, ——————— Uncias duas:

Aquæ Roſarum ——————— Libram ſemis.

Diſſoluto Gummi Arabico in Aqua Roſarum, Ceruſſa & Saccharum ſimul lævigentur ſupra porphyritem, ſenſim affundendo prædictam ſolutionem, dum medicamentum acquirat melleam conſiſtentiam.

Acres humores ad oculos affluentes temperat.



SECTIO XIII.

QUÆ EST

DE

OLEIS.

OLEA PER EXPRESSIONEM.

OLEUM AMYGDALARUM DULCIUM.

℞. Amygdalarum dulcium decorticatarum, & exſiccatarum — quantum placet.

Contunde exacte, quantum fieri poteſt, & ſacculo ex funiculis contexto, vel cylindro chalybeo cavo & perforato incluſas per torcular fortiter exprime.

Eadem prorſus ratione ex aliis quoque ſeminibus & nucleis vel decorticatis, vel, uti decet, repurgatis Olea extrahuntur: E. G.

Oleum Amygdalarum amararum.
Oleum Nucum Juglandium.
Oleum Avellanarum.
Oleum e Nucleis Perſicorum.

Oleum

Oleum e Nucleis Armeniacarum.
Oleum e Nuce Ben.
Oleum e Seminibus Citrei.
Oleum e Seminibus Lini.
Oleum e Seminibus Raparum.
Oleum e Seminibus Sesami, sive Oleum Sesaminum.
Oleum e Vinaceis, sive Uvæ seminibus.
Oleum e Seminibus Frigidis Majoribus.
Oleum e Seminibus Hyoscyami. &c.

Quæ Olea, si pro externo usu parare debueris, ut in plerisque accidet, nucleos & semina contusa supra lentum ignem calefacere poteris ante expressionem, & pauxillum Aquæ Rosaceæ affundere, ad uberiorem Olei proventum.

OLEUM NUCIS MOSCHATÆ.

℞. Nucum Moschatarum ——— quantum placet.

Contusas Vino Malvatico, asperge, agita in cacabo æreo ad ignem, donec ros oleosus transudet; sacculo inclusas per torcular exprime. Oleum habebis initio liquidum, quod tamen brevi coagulabitur.

Frigidis & humidis ventriculi affectibus succurrit.

BU-

BUTYRUM CACAO.

℞. Granorum Cacao ——————— quantum placet.

Torrefiant leniter in ſartagine, & confricentur quoad cortices excidant: contundantur diligenter, & incaleſcant in Balneo Maris: comprimatur maſſa in torculari inter duas laminas ferreas calentes. Exſtillabit Oleum Butyraceum frigore concreſcens, quod liquetur ſæpius in Balneo Maris, & abluatur aqua pura, donec colorem candidum acquirat.

Extenuatis ac tabidis prodeſt; refrigerat, incraſſat, & humorum acrimoniam compeſcit.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas duas.

OLEUM EX GRANIS TRITICI SIVE DE FRUMENTO.

℞. Granorum Tritici —————— quantum placet.

Inter duas laminas ferreas non multum ignitas in torculari fortiter comprime, & Oleum exſtillabit.

Impetigines, & cutis aſperitates lenit.

OLEUM

OLEUM LAURINUM.

℞. Baccarum Lauri maturarum, & recentium — quantum placet.

Tritæ cum aqua communi coquantur; coctæ vero fortiter exprimantur: Oleum aquæ ſupernatans in ſubjecto vaſe colligetur.

Ad cerebri, nervorum, articulorum, & ſtomachi affectus.

OLEUM DE VITELLIS OVORUM.

℞. Ova elixatione indurata ——— quot volueris.

Vitellos exemptos & comminutos in ſartagine ſupra ignem aſſabis, donec rubeſcant, & pinguitudo exſudet. Maſſam etiamnum fervidam exprimes, & Oleum expreſſum in uſum ſervabis.

Hæmorrhoidibus dolentibus, ambuſtis, cicatricibus variolarum, & aliis cutaneis affectibus medetur.

OLEA PER MACERATIONEM SIMPLICIA.

OLEUM ROSATUM.

℞. Roſarum communium repurgatarum
— Uncias ſexdecim.
Infunde in
Olei Olivarum ——————— Libris quatuor.

Macera & inſola per dies octo: Roſas extractas exprime, & recentes affunde ad idem pondus, eaſque pariter macera & inſola: tertia vice omnia repete: poſt ultimam inſolationem percolatum Oleum in uſum ſerva.

Roborat, reſolvit, lenit, ac dolores mulcet.

OLEUM VIOLATUM.

Ex Violis paratur eadem ratione ac Oleum Roſarum ex Roſis.

Refrigerat, inflammationum æſtum temperat, pleuriticos dolores ſedat.

Eodem ordine procedes, ut alia ex floribus Olea conficias: E. G.

Oleum Chamæmelinum.
Oleum Cheirinum, ſive de Violis Luteis.

Oleum

Oleum de Liliis albis.
Oleum de Floribus Nymphææ.
Oleum de Floribus Rorifmarini. &c.

OLEUM DE ABSINTHIO.

℞. Summitatum Abfinthii ——— Uncias quatuor:
Olei Olivarum ———————— Libram unam.

Fiat infufio, & infolatio ex arte, pauxillo Vini, fi libeat, affufo; adhibeantur novæ fummitates aut folia pro fecunda ac tertia infufione, & infolatione, ut in Oleo Rofato. Ultimo leniter ferveant ad humiditatis evaporationem, & colatum Oleum ad ufum fervetur.

Ufus ad obftructiones, lumbricos, & ventriculi imbecillitatem.

Eodem artificio utere ad cetera Olea ex herbis recentibus paranda: E. G.

Oleum Rutaceum.
Oleum Anethinum.
Oleum Sampfuchinum, five de Majorana.
Oleum de Mentha.
Oleum de Lavandula, five de Spica.
Oleum de Sabina. &c.

OLEUM DE SAMBUCO.

Adhibitis foliis, floribus, & cortice interno Sambuci, eadem ratione fiat ac Oleum de Abſinthio.

Ambuſtis prodeſt.

OLEUM DE PAPAVERE.

Ex foliis & capitibus inciſis Papaveris albi fiat, ut Oleum de Abſinthio.

Dolores mitigat, ſomnum conciliat.

OLEUM IRINUM.

℞. Radicum Iridis noſtratis recentium & contuſarum — Libras duas.

Infunde & macera per horas XXIV. ſupra cineres calidos in

Olei Olivarum ——————— Libris quatuor.

Ferveant ad conſumptionem humiditatis: facta expreſſione adde

Florum Iridis ——————— Libram ſemis.

Digere in cineribus calidis per diem, & coque iterum leniſſime ad humiditatis evaporationem; colatum & expreſſum Oleum ſerva.

Attenuat, digerit, ac reſolvit; dolores aurium, hepatis, ſplenis, uteri, & articulorum a cauſa frigida productos ſedat.

OLEUM

OLEUM MYRTINUM.

℞. Summitatum Myrti,
Baccarum ejuſdem, ——— ana Uncias novem:

Infunde in
Olei Olivarum ——————— Libris quatuor:

Vini albi ——————————— Libra una.

Macera per dies ſeptem, quotidie agitando; poſtea decoque ad vini conſumptionem, & colatum Oleum ad uſum repone.

Cerebrum, cor, nervos, ac ventriculum roborat.

OLEUM DE CYDONIIS.

℞. Cydoniorum immaturorum, non mundatorum, in taleolas ſectorum,
Succi eorundem, ——— ana Libram unam:

Olei Olivarum ——————— Libras tres.

Macera omnia ſimul in hypocauſto, per dies quindecim, coque in duplici vaſe, & projectis Cydoniis recentia immitte: rurſus macera & coque: adhuc etiam tertio nova Cydonia ſuperadde; poſt ultimam vero coctionem expreſſum Oleum in uſum ſerva.

Refrigerat, adſtringit, ſudoremque immodicum ſiſtit.

OLEUM CUCURBITACEUM.

℞. Cucurbitas virides longas, quarum caro apud nos melle condiri ſolet, — quot volueris.

Projecta medulla ac ſeminibus, carnem in tenuia ſegmenta divide; deinde ſume

Pulpæ ita præparatæ ———— Libras quatuor.

Infunde in

Olei Olivarum ———— Libris duodecim.

Decoque ad conſumptionem humiditatis, & vaſe ab igne remoto, ubi Oleum refrigeratum fuerit, Ferrum candens in ipſum pluries immerge, ſollicite cavens ne flamma accendatur: colatum in uſum ſerva.

Externa inunctione egregium eſt antipleuriticum.

OLEUM DE BALSAMINA

SIVE

DE CHARANTIIS.

℞. Fructuum Balſaminæ maturorum, exemptis ſeminibus, — quantum placet.

Immitte in lagenam vitream Oleo Olivarum ſemiplenam, & inſola per aliquot dies; recentes interim fructus, donec haberi poterunt, identidem ſuperaddens, ea lege ut Oleum duos digitos fructibus ſupereminent. Facta inſolatione dierum quadraginta, ferveant leniter ad conſumptionem humiditatis, & colatum Oleum ſervetur.

Ad cæcas ac dolentes hæmorrhoides.

OLEUM

OLEUM POPULEON.

℞. Gemmarum ſive oculorum Populi arboris initio veris collectorum — Libras tres.

Infunde in
Olei Olivarum ——————— Libris octo:
Vini albi ——————— Libris duabus.

Macera per dies ſeptem, quotidie agitando; poſtea decoque ad vini conſumptionem, & colatum ſerva.

Arthriticis, podagricis, nephriticis perutile habetur.

OLEUM MASTICHINUM.

℞. Maſtiches ——————— Uncias tres:
Olei Roſati ——————— Libram unam:
Vini generoſi ——————— Uncias quatuor:
Spiritus Vini ——————— Unciam unam & ſemis.

Decoque omnia ſimul ad diſſolutionem Maſtiches, & humiditatis evaporationem: ſic paratum Oleum ad uſum repone.

Cerebrum, nervos, & ventriculum roborat; tumores duros emollit, dolores ſedat.

OLEUM NARDINUM.

℞. Spicæ Nardi ———————— Uncias tres:
Olei Sesamini, vel loco illius Amygdalini
— Libram unam & semis:
Vini generosi,
Spiritus Vini, ——— ana Uncias duas & semis.

Decoque ad humiditatis consumptionem, & colatum ad usum serva.

Calefacit, attenuat, digerit, modice adstringit, frigidisque capitis & ventriculi affectibus convenit.

OLEUM DE CASTOREO.

℞. Castorei ———————— Unciam unam:
Olei Olivarum ———————— Libram unam:
Vini albi ———————— Uncias duas.

Decoque secundum artem, & colatum in usum serva.

In convulsivis affectibus, passionibus articulorum, doloribus hystericis, ac rigore febrili.

OLEUM DE SPERMATE RANARUM.

℞. Spermatis Ranarum ———————— Libras duas:
Olei Olivarum ———————— Libras tres.

De-

Decoque ſimul ad conſumptionem humiditatis, & colatum Oleum in uſum repone.

Refrigerat, dolorem ac tenſionem lenit.

OLEUM SCORPIONUM

SIMPLEX.

℞. Scorpiones vivos ———— Numero centum.

Infunde in

Olei Amygdalarum amararum — Libris duabus.

Macera & inſola in lagena ſtricti orificii per dies quadraginta caniculares: poſt exhalationem humiditatis cola.

Ad faciliorem calculi expulſionem, & ad venenatos animalium ictus.

OLEUM FORMICARUM.

℞. Formicarum majorum vivarum —— Uncias tres.

Infunde in

Olei Olivarum ———————— Libra una.

In reliquis procede ut in Oleo Scorpionum ſimplici.

Aphrodiſiacis accenſetur: caute adminiſtrandum, ut reliqua ejus generis medicamenta.

OLEUM LUMBRICORUM.

℞. Lumbricorum terreſtrium ——— Libram ſemis:
Olei Olivarum ——————— Libras duas:
Vini Malvatici ——————— Uncias duas:
Spiritus Vini ——————— Unciam unam.

Decoque omnia ſimul ad humiditatis conſumptionem, & colatum Oleum uſui ſerva.

Nervis male affectis perutile eſt.

OLEUM DE LACERTIS.

℞. Lacertarum majorum viridium vivarum
— Libram unam.

Submerge ac ſuffoca in
Olei Nucum Juglandium recentis – Libris tribus.

Adde
Vini optimi ——————— Uncias tres.

Decoque ſimul ad conſumptionem humiditatis, & colatum ad uſum repone.

Ad hernias ſanandas, miſtum pulveribus adſtringentibus.

OLEA PER MACERATIONEM COMPOSITA.

OLEUM SEPTEM FLORUM
MYNSICHT.

℞. Florum Violarum,
Sambuci,
Rosarum,
Chamæmeli,
Liliorum,
Verbasci,
Malvæ Roseæ, – ana Manipulum unum:

Olei Olivarum ——————— Libras tres.

Fiat singulorum florum, dum recentes sunt, in eodem Oleo triplex infusio, ac maceratio ad Solem; & post levem ebullitionem colatum Oleum usui servetur.

Capitis dolores mitigat, nervosarum partium contractionem laxat, tumores calidos vel resolvit, vel macerat.

OLEUM ANODYNUM CNOEFFELII.

℞. Foliorum Hyoscyami,
Solani,
Sempervivi, – ana Unciam unam & semis:

Florum Nymphææ,
Verbaſci,
Sambuci,
Roſarum, ———— ana Uncias duas:

Cancros fluviatiles contuſos — Numero quatuor.

Infunde in
Olei ſeminum Lini,
Lumbricorum,
Spermatis Ranarum, —— ana Libra ſemis:

Medullæ cruris Bovini liquefactæ – Unciis quatuor:

Vini albi ———————— Unciis ſex.

Digere aliquandiu, poſtea leniter coque ad humiditatis exhalationem; cola, & fortiter exprime.

Uſus in febribus ardentibus ad ſpinam dorſi inungendam: dolores etiam calidam habentes cauſam lenit.

OLEUM ANTICOLICUM.

℞. Summitatum Anethi,
Roriſmarini,
Menthæ,
Pulegii, — ana Uncias duas & ſemis:

Florum Chamæmeli ———— Uncias quatuor:

Corticum Aurantiorum viridium
— Unciam unam & ſemis:

Baccarum Juniperi ———— Unciam unam:

Coriandrorum ———— Drachmas ſex:

Opii ———————— Drachmas duas.

In-

Infunde in
Olei Olivarum ———————— Libris duabus:
Vini albi ————————— Unciis ſex.

Macera per diem unum, & coque ad humiditatis conſumptionem; colato Oleo & expreſſo adde
Olei eſſentialis ſem. Fœniculi,
Carvi, — ana Drachmas duas:
Camphoræ raſæ ——————— Drachmas ſex.

Miſce, & in uſum ſerva.

Colicis & hyſtericis perſalutare eſt, externe pariter interneque adhibitum.

DOSIS ad aliquot guttas.

OLEUM NERVINUM.

℞. Olei Lumbricorum,
Chamæmelini, ——— ana Unciam unam:
Karabes diſtillati ——— Drachmas duas:
Nitri ſubtiliter pulveriſati — Drachmam unam:
Spiritus Vini ——— Unciam unam & ſemis.

Ferveant ſimul lento igne ad conſumptionem Spiritus Vini: ſub finem adde
Camphoræ raſæ ——————— Scrupulum unum:
qua diſſoluta, Oleum ab igne remove, & in uſum ſerva.

Nervorum contractionibus, ac doloribus articulorum, prodeſt.

OLEUM

OLEUM DE CAPPARIBUS.

℞. Corticum radicis Capparum — Unciam unam:
Radicum Cyperi odorati,
Corticum Tamarisci,
Summitatum ejusdem,
Foliorum Asplenii,
Seminum Agni Casti, — ana Drachmas duas:
Rutæ — Drachmam unam.

Infunde & macera in
Olei Olivarum — Libra una:
Vini generosi,
Aceti acerrimi, — ana Unciis duabus.

Decoque ad consumptionem humiditatis, & colatum repone ad usum.

Lienis scirrho, obstructioni, dolori, omnique ejus frigidæ affectioni convenit.

OLEUM HÆMORRHOIDALE
BENEDICTI VICTORII.

℞. Asellorum vivorum,
Lumbricorum terrestrium, — ana Unciam unam.

Infunde in
Olei Seminum Lini,
Nucleorum Armeniacarum,
— ana Unciis quatuor:
Vini

Vini albi ———————— Unciis duabus.

Decoque omnia ſimul ad conſumptionem humiditatis, & colatum Oleum uſui ſerva.

Cæcis, dolentibus, tumidiſque hæmorrhoidibus ſolatio eſt.

OLEUM VULPINUM

Mesuæ.

℞. Vulpem pinguem ab inteſtinis repurgatam, in fruſta cum oſſibus comminutam:

Salis communis ——————— Uncias quatuor.

Coque in
Aquæ fontis ———————— Libris ſex:

Olei Olivarum ——————— Libris quatuor.

Inter coctionem adde
Summitatum Anethi,
Hyſſopi, ——— ana Libram unam.

Continuetur coctio uſque eo dum caro ab oſſibus ſeparetur, & aqua conſumatur: expreſſum Oleum, ac per ſubſidentiam defæcatum ſervetur.

Ad podagram, & omnes arthritidis ſpecies: ad dorſi etiam ac renum dolores efficaciſſimum.

OLEA BALSAMICA.

OLEUM HYPERICI.

℞. Summitatum floridarum ac maturescentium Hyperici leviter contusarum — Uncias octo.

Infunde in
Olei Olivarum veteris ——— Libris duabus:
Vini rubri generosi ——— Libra una.

Macera in vase clauso ad Solem per dies tres: post levem ebullitionem cola & fortiter exprime: in expresso recentes Hyperici summitates ad idem pondus infunde: macerationem & ebullitionem repete. His omnibus tertia vice peractis Oleum cola, & adde
Terebinthinæ Venetæ ——— Uncias sex:
Thuris ——— Drachmas tres:
Croci Orientalis Vino dissoluti
— Scrupulos quatuor.

Rursus coque lento igne ad consumptionem humiditatis, & Oleum a sedimento purgatum in usum serva.

Ad vulnerum glutinationem quotidiano usu commendatissimum est: dolores arthriticos, podagricos, & ischiadicos a frigida causa productos mitigat.

OLEUM BENEDICTUM APPARITII DE ZUBIA

VULGO

OLIO DELLA SPAGNUOLA.

℞. Summitatum floridarum Hyperici,
Cardui benedicti,
Radicum Valerianæ, —— ana Libram ſemis:

Infunde in
Vini rubri generoſi ———— Libris duabus.

Macera per triduum in vaſe clauſo; poſtea ſuperadde
Tritici mundi modice contuſi —— Uncias duas:
Olei Olivarum veteris — Libram unam & ſemis.

Coque lento igne ad Vini conſumptionem, cola & exprime, expreſſo adde
Olei ſive Reſinæ Abietis ——— Libram unam:
Thuris ———————— Libram ſemis:
Myrrhæ ———————— Unciam ſemis.

Coque iterum leniter, donec omnia perfecte miſta fuerint, & Oleum uſui repone.

Nobile vulnerarium eſt eximiis viribus inſigne: valet plurimum ad contuſiones cujuſcumque generis ſanandas; recentia vulnera conglutinat, vetera carne implet, & ad cicatricem ducit.

OLEUM DE CATELLIS
PARÆI.

℞. Catellos recenter natos ——— Numero duos:
Lumbricorum terreſtrium ——— Libram unam.

Coque in
Olei Violati ——————— Libris quatuor,
Aquæ fontis ——————— Libris quinque,

ad humiditatis conſumptionem: cola & fortiter exprime, expreſſo ac defæcato adde
Terebinthinæ Venetæ ————— Uncias tres:
Spiritus Vini ——— Unciam unam & ſemis.

Digere per triduum in Balneo Maris, & ad uſum ſerva.

Mundificat, digerit, dolores lenit; ad ſclopetorum quoque vulnera adhibetur cum ſucceſſu.

OLEUM PRETIOSUM DE SCORPIONIBUS
MATTHIOLI.

℞. Foliorum Hyperici virentis —— Manipulos tres.

Contunde decenter, ut reliqua omnia poſtea infundenda: contuſis affunde
Olei Olivarum vetuſtiſſimi ——— Libras tres.

Macera in vaſe vitreo duplæ capacitatis optime obturato: inſola per dies duodecim, digere in Balneo

neo aquæ calentis per horas XXIV. Oleum exprime, & in expreſſo infunde

Summitatum Hyperici,
Chamædryos,
Cardui benedicti,
Calaminthæ,
— ana Manipulum unum.

Digere per tres dies in eodem Balneo: exprime, & in expreſſo infunde

Florum Hyperici a cauliculis repurgatorum
— Manipulos tres.

Digere in Balneo per triduum, cola cum expreſſione: rurſus eandem quantitatem florum affunde, rurſuſque digere & cola: repete hæc omnia toties, donec Oleum ſanguinei coloris evadat: in expreſſo ultimo infunde

Fructuum Hyperici viridium matureſcentium
— Manipulos tres.

Inſola per dies octo: digere in Balneo per triduum, cola & exprime: hæc omnia toties repete, quoad Oleum fiat obſcure ſanguineum: in expreſſo ultimo infunde

Summitatum Scordii,
Calaminthæ,
Centaurii minoris,
Cardui benedicti,
Dictamni Cretici,
Verbenæ, — ana Manipulum ſemis.

Digere per triduum in Balneo: cola & exprime; in expreſſo infunde

Radicum Zedoariæ,
Dictamni albi,
Gentianæ,

Radicum Ariſtolochiæ rotundæ,
Tormentillæ, —— ana Drachmas tres:

Summitatum Scordii ——— Manipulum unum.

Digere ſimiliter per tres dies in Balneo; cola & exprime: in expreſſo infunde

Styracis,
Benzoini, ——————— ana Drachmas ſex:

Baccarum Juniperi ————— Unciam ſemis:

Seminum Nigellæ ————— Drachmas duas:

Cinnamomi ——————— Drachmas novem:

Schœnanthi,
Cyperi Orientalis,
— ana Drachmam unam & ſemis:

Santali albi ———————— Unciam ſemis.

Macera per triduum in Balneo, cola & exprime; deinde ſume

Scorpiones vivos canicularibus diebus collectos
— Numero trecentos.

Vaſe vitreo incluſos cineribus calidis ſuperimpone; cumque illi præ calore ſudare & agitari cœperint, prædictum Oleum modice calidum ſuperfunde, obturato ſtatim vaſe: digere per triduum in Balneo, & facta forti expreſſione infunde

Rhabarbari,
Myrrhæ,
Aloes Hepaticæ, ————— ana Drachmas tres:

Nardi Indicæ ——————— Drachmas duas:

Thuris,
Croci, ——————— ana Drachmam unam:

The-

Theriacæ,
Mithridatii, ———————— ana Unciam ſemis.

Digerantur per triduum in Balneo ſupradicto ad humiditatis conſumptionem; hoc facto Oleum non amplius percoletur, ſed recondatur in uſum, perinde ac Opobalſamum.

Venenis omnibus per os ſumptis, modo de rodentium genere non fuerint, potenter adverſari creditur: viperarum etiam, aliorumque venenatorum animalium morſibus efficaciter ſuccurrere.

OLEUM CONTRA VENENA
MAGNI DUCIS ETRURIÆ.

℞. Scorpionum vivorum ———— Libram unam.

Infunde in
Olei Olivarum vetuſtiſſimi —— Libris quinque.

Digere in vaſe vitreo optime obturato per dies triginta ad Solem: coque in Balneo Maris per ſex horas; exprime, & expreſſo adde
Radicum Biſtortæ,
Gentianæ,
Tormentillæ,
Vincetoxici,
Imperatoriæ, ——— ana Uncias duas.

Iterum coque in Balneo per horas quatuor: cola & exprime; in expreſſo infunde
Rhabarbari,

Myr-

Myrrhæ,
Aloes Hepaticæ,
Ligni Aloes,
Croci, ———— ana Unciam unam & ſemis.

Rurſus coque per ſex horas in eodem Balneo; cola & exprime: expreſſo adde

Theriacæ,
Mithridatii, ———— ana Unciam ſemis.

Digere per triduum in Balneo, & ſine ulteriori percolatione ad uſum ſerva.

Præſervat a peſte, febribus malignis occurrit, ac venenis reſiſtit; non autem ſolum externe adhibetur, ſed etiam interne.

OLEUM ANTHELMINTHICUM

VULGO

OLIO D'ABACUC.

℞. Seminum Colocynthidos ———— Uncias tres:

Radicum Gentianæ,
Dictamni albi,
Summitatum Centaurii minoris,
Abſinthii,
Amygdalarum amararum,
Nucleorum Perſicorum,
Lupinorum, ———— ana Unciam unam:

Seminis Sancti,
Cornu Cervi uſti,

Co-

Corallinæ, ——————— ana Drachmas tres:

Radicum Cyclaminis,
Seminum Braſſicæ, ———— ana Unciam ſemis.

Contuſa, ut decet, infunde in
Vini auſteri,
Aceti acerrimi, ——— ana Unciis quindecim:

Succi Abſinthii ————— Libra una & ſemis:

Limonum,
Aurantiorum, ——— ana Unciis quatuor.

Macera per triduum, & adde
Fellis Bovini ————————— Uncias duas:

Olei de Abſinthio ————— Libras quinque.

Coque ad conſumptionem humiditatis; cola & exprime: in expreſſo diſſolve
Olei Laurini ———————— Uncias quatuor:

de Spica diſtillati,
Petrolei, ————————— ana Uncias tres:

Picis nigræ liquidæ ——— Uncias quindecim:

Aloes Hepaticæ ——————— Uncias duas:
Croci ſubtiliter pulveriſati
— Drachmam unam & ſemis.

Miſce, & ad uſum ſerva.

Adverſus lumbricos infantibus præſidio eſt, umbilicali regioni illitum: unde Italicum nomen Olio da Bachi, *& corrupte* Olio d'Abacuc.

OLEUM STOMACHICUM
MAGNI DUCIS ETRURIÆ.

℞. Mastiches ——————————— Uncias sex:
Nucis Moschatæ,
Caryophyllorum, ——— ana Uncias quatuor:
Schœnanthi,
Macis, ————————— ana Unciam unam:
Ligni Aloes ———————— Unciam semis.
Pulverisata omnia subtiliter infunde in
Olei Mastichini ——————— Libris duabus:
Hyperici ————— Libra una & semis.

Digere per dies novem in vase vitreo cooperto in Balneo Maris, & colatum ad usum serva.

Stomachum efficaciter roborat, flatus discutit, vermes necat.



SECTIO XIV.

QUÆ EST

DE

UNGUENTIS.

UNGUENTUM DE CERA

VULGO DICTUM

UNGUENTUM HIPPOCRATIS.

℞. Olei Olivarum ——————— Libras quatuor:

Ceræ albæ ——————— Libram unam.

Liquentur ſimul ad perfectam miſtionem, & ſic paratum Unguentum uſui ſervetur.

Reſolvit, calorem reprimit, dolorem lenit.

In hoc & ceteris Unguentis eam proportionem Olei ad Ceram ſtatuimus, quæ mediis temporibus, autumno ſcilicet ac vere locum habere poſſit: æſtate, ut periti artis norunt, paullo plus Ceræ adhibendum eſt, hieme paullo minus.

UNGUENTUM INFRIGIDANS
Galeni.

℞. Olei Rosati ——————————— Uncias quatuor:
Ceræ albæ ——————————— Unciam unam.

Liquentur simul, & fiat Unguentum; quod ab igne remotum aqua frigidissima pluries renovata diu ablues; sub finem vero affundes
Aceti albi optimi ——————————— Uncias sex.

Unguentum eo iterum ablues, mox ab omni humiditate sponte ac sine igne separatum in proprios usus adhibebis.

In febribus ardentibus, ac cephalalgia pulsante ad refrigerium usurpatur.

UNGUENTUM ROSATUM
Mesuæ.

℞. Axungiæ Porcinæ præparatæ —— Libras decem.

Liquefactæ in Balneo Maris affunde
Rosarum communium repugat —— Libras duas.
Macera per dies sex, leniter coque in eodem Balneo, cola & fortiter exprime: in expresso eandem Rosarum quantitatem infunde; repete omnia ut supra: facta demum Rosarum tertia infusione, post sufficientem coctionem cola cum forti expressione, & Unguentum colatum in loco frigido serva.

Refrigerat, ac dolores lenit.

UN-

UNGUENTUM ROSATUM MALVINUM.

℞. Unguenti Rosati ——————— Libras duas:
Succi Malvæ ——————— Libram unam:
Solani ——————— Uncias sex:
Foliorum Malvæ recentium contusorum — Manipulos quatuor.

Coque lento igne ad consumptionem humiditatis, & colatum cum forti expressione in usum serva.

Viribus cum superiori convenit, sed efficacius.

UNGUENTUM POMATUM.

℞. Axungiæ Porcinæ præparatæ ——— Libras tres:
Sebi Ovilli recentis ——— Uncias novem.

Liquefactis ad lentum ignem adde
Pomorum dulcium in frusta concisorum, demptis corticibus, — Libram unam & semis:
Ireos Florentinæ crasse pulverisatæ — Drachmas sex:
Aquæ Rosarum ——————— Uncias sex.

Bulliant simul in Balneo Maris ad dissolutionem Pomorum, & consumptionem humiditatis. Unguentum sine expressione colatum servetur, usus tempore Aqua Rosacea abluendum.

Labiorum scissuris, & cutis asperitati prodest.

UNGUENTUM POPULEON
NICOLAI SALERNITANI.

℞. Axungiæ Porcinæ præparatæ ——— Libras tres.

Liquefactæ ſub Veris initium affunde
Oculorum Populi arboris recentium contuſorum
— Libram unam & ſemis.

Macera uſque ad Junium menſem, & adde
Summitatum Rubi tenerrimarum,
Foliorum Papaveris Rhœados,
Mandragoræ,
Sempervivi majoris,
minoris,
Hyoſcyami albi,
Solani,
Lactucæ,
Bardanæ,
Umbilici Veneris, vel ejus loco
Fabæ craſſæ,
Violariæ, ———— ana Uncias duas.

Rurſus macera per dies decem, coque ad lentum ignem cum ſufficienti quantitate Vini odorati, uſque ad humiditatis conſumptionem, cola & fortiter exprime: Unguentum colatum in uſum ſerva.

Contra morboſum calorem valet, ac temporibus illitum ſomnum conciliat.

UNGUENTUM PECTORALE WECKERI.

R. Tragacanthi,
Seminum Psyllii,
Fœni græci,
Lini, ——— ana Drachmam unam.

Contusa infunde in
Aquæ Violarum ——— Unciis decem.

Extrahe mucilaginem ex arte: mucilagini expressæ adde
Olei Violati,
Amygdalarum dulcium,
— ana Unciam unam,

Butyri loti cum aqua Violarum,
Adipis Gallinacei,
Medullæ Vitulinæ,
— ana Unciam unam & semis.

Coque omnia simul blando igne ad humiditatis consumptionem, cola, & adde
Ceræ albæ ——— Unciam unam:

qua liquefacta, & rite cum reliquis permista, remotum ab igne Unguentum ad usum serva.

Laterum dolores mitigat, tussim sedat, exscreationem promovet; crassos humores attenuat, digerit, ac resolvit.

UN-

UNGUENTUM DE ALABASTRO
BENEDICTI VICTORII.

℞. Succi recentis Chamæmeli —— Uncias quatuor:
Roſarum ———— Uncias duas:
Betonicæ,
Rutæ,
— ana Unciam unam & ſemis:
Cremoris radicum Althææ ——— Uncias duas:
Olei Roſati ———— Libram unam & ſemis.

Decoctis omnibus ſimul ad ſuccorum conſumptionem adde
Ceræ albæ ———————— Uncias ſex:

qua liquefacta, & perfecte cum oleo commiſta, inſperge
Alabaſtri puriſſimi ſubtiliter pulveriſati
— Uncias tres.

Miſce, & fiat Unguentum.

Dolores capitis mitigat, livores a percuſſionibus aufert.

UNGUENTUM SANTALINUM
MESUÆ.

℞. Santali rubri ———— Drachmas decem:
citrini,
albi, ———— ana Drachmas ſex:

Roſa-

Rosarum rubrarum —— Unciam unam & semis:
Boli Armenæ ——————— Drachmas septem:
Spodii ex Ebore ——————— Unciam semis.

Pulverisata omnia confunde cum
Olei Rosati ——————————— Libra una:
Ceræ albæ in eodem liquefactæ — Unciis quatuor.

Misce, & fiat Unguentum; cui ab igne remoto adde
Camphoræ rasæ ——————— Drachmas duas.

Iterum misce, & in usum serva.

Inflammationes sedat, calidas ventriculi & hepatis intemperies extinguit.

UNGUENTUM DE SUCCIS

JULII CÆSARIS ARANTII.

℞. Foliorum recentium Plantaginis,
Lapathi,
Solani,
Summitatum Centaurii minoris,
— ana Manipulos duos.

Contunde, & macera per dies octo in
Olei Rosati ——————————— Libra una.

Coque ad consumptionem humiditatis, & cola cum forti expressione: colato adde
Ceræ albæ ——————————— Uncias quatuor.

Confice Unguentum ex lege artis; cui refrigescenti insperge

Cam-

Camphoræ raſæ ——————— Unciam ſemis.

Miſce, & uſui ſerva.

Valet ad ulcera inflammata, dolentia, & phagedænica.

UNGUENTUM COMITISSÆ
GUILIELMI DE VARIGNANA.

℞. Corticis medii Quercus arboris,
Glandium,
Caſtanearum,
Herbæ Caudæ Equinæ,
Corticum Fabarum,
Baccarum Myrti,
Gallarum immaturarum,
Vinaceorum,
Sorborum immaturorum,
Meſpilorum immaturorum,
Radicum Chelidoniæ majoris,
Foliorum Pruni ſilveſtris,
— ana Unciam unam & ſemis.

Mediocriter contrita decoque in
Aquæ Plantaginis ————— Libris duodecim:

cola & fortiter exprime; interim ſume
Olei Myrtini,
Maſtichini, — ana Libram unam & ſemis:

Ceræ albæ ——————— Uncias octo.

Liquentur ſimul ad lentum ignem, poſtea refrigeſcant: maſſam refrigeratam ablue novies cum ſupradicti decocti frigidiſſimi portione ſingulis vicibus reno-

renovata. Poſt ultimam ablutionem, ſeparata humiditate, & miſtura blando calore iterum liquefacta, inſperge, quæ ſequuntur, ſubtiliter pulveriſata:

Corticis medii Caſtanearum,
Glandium,
Quercus Arboris,
Gallarum immaturarum, — ana Unciam unam:
Baccarum Myrti,
Vinaceorum,
Cineris oſſium cruris Bovini, — ana Unciam ſemis:
Trochiſcorum de Karabe ——— Uncias duas.

Miſce, & fiat Unguentum ex lege artis.

Abortum prohibet, hæmorrhoides nimium fluentes ſiſtit, renes roborat, menſium exuberantiam compeſcit.

UNGUENTUM DE ARTHANITA MAJUS

Mesuæ.

℞. Pulpæ Colocynthidos ——— Uncias quatuor:
Radicum Polypodii ——— Uncias ſex:
Euphorbii ——— Unciam ſemis.

Contuſa infunde in
Succi Arthanitæ ſive Cyclaminis — Libris tribus:
Cucumeris agreſtis ——— Libra una.

Infuſis adde
Olei Irini ——— Libras duas:
Butyri recentis ——— Libram unam.

 Mace-

Macera per dies octo, coque lento igne ad consumptionem humiditatis, cola & exprime, expresso adde
Ceræ flavæ ————————— Uncias quinque:
Fellis Bovini ————————— Unciam unam.

Ferveant simul ad ceræ liquefactionem: dein remove ab igne, & adde
Sagapeni Aceto dissoluti ——— Unciam unam.

Ultimo, quæ sequuntur, subtiliter pulverisata insperge:
Diacrydii,
Aloes Hepaticæ,
Foliorum Laureolæ,
Turpethi,
Pulpæ Colocynthidos, ——— ana Unciam unam:
Salis Gemmei ——— Drachmas quatuor & semis:
Myrrhæ,
Piperis longi,
Euphorbii,
Zingiberis,
Florum Chamæmeli ——— ana Drachmas tres.

Misce, & fiat secundum artem Unguentum.

Stomacho applicitum vomitu purgat, hypogastrio illitum alvum dejicit, hydropicis prodest, vermes necat & educit.

UNGUENTUM DE ARTHANITA MINUS

Mesuæ.

℞. Succi Arthanitæ,
Ebuli,
Radicum Filicis, ——— ana Uncias novem:
Aceti

Aceti acerrimi ———————— Unciam unam:

Olei Irini —————————— Libras duas.

Coque ſimul ad conſumptionem humiditatis, cola, & adde

Ceræ flavæ —————————— Libram ſemis:

Oeſypi humidi ———— Drachmas quinque.

Liquefactis omnibus, & ab igne remotis adde
Ammoniaci Aceto diſſoluti,
Bdellii ſimiliter præparati,
— ana Drachmam unam & ſemis.

Ultimo, quæ ſequuntur, in pulverem redacta inſperge:
Summitatum Tamariſci ———— Uncias duas:

Corticum radicis Capparum
— Unciam unam & ſemis:

Nardi Indicæ ———————— Unciam ſemis.

Miſce, & fiat Unguentum ex lege artis.

Splenis tumores etiam ſcirrhoſos mollit, ſtrumas diſſolvit.

Hoc adhibeant Pharmacopœi, quandocumque Unguentum de Arthanita ſimpliciter præſcriptum fuerit.

UNGUENTUM NERVINUM

Pharmacopoeiæ Augustanæ.

℞. Adipis Humani,
Canini,
Felini, ———— ana Unciam ſemis:

Olei Hyperici,
Lumbricorum,
Vulpini,
Anethini, ————— ana Uncias tres:
Terebinthinæ diſtillati —— Unciam unam:

Terebinthinæ Venetæ ——— Uncias quatuor.

Liquefactis ſimul omnibus inſperge, quæ ſequuntur, ſubtiliter pulveriſata:

Foliorum Salviæ,
Ivæ Arthericæ,
Majoranæ,
Roriſmarini,
Menthæ,
Rutæ,
Anethi,
Lavandulæ,
Hyperici,
Primulæ veris,
Florum Chamæmeli,
Meliloti,
Radicum Pyrethri, ——— ana Drachmas duas:

Baccarum Juniperi,
Lauri, ———— ana Unciam unam:

Maſtiches ———————— Unciam ſemis:

Benzoini ———————— Drachmas ſex.

Miſce, & fiat Unguentum.

Frigidos nervorum morbos tollit, eorumque doloribus levamen affert.

UN-

UNGUENTUM MARCIATON
NICOLAI SALERNITANI.

℞. Foliorum Lauri ——————— Libras tres:
Rutæ ———— Libras duas & ſemis:
Majoranæ —————— Libras duas:
Roriſmarini — Libram unam & ſemis:
Myrti —————— Libram unam:
Ebuli,
Balſamitæ,
Ocimi, ———— ana Libram ſemis:

Contuſa infunde in
Vini albi generoſi ———— Libris duodecim.

Macera per dies quinque in vaſe clauſo, poſtea ſuperadde
Olei Olivarum antiqui ———— Libras octo.

Coque ad conſumptionem humiditatis, cola & exprime: expreſſo adde
Butyri recentis ——— Unciam unam & ſemis:
Adipis Urſini,
Gallinacei,
Anſerini, ———— ana Unciam unam:
Medullæ Cervinæ,
Styracis,
Thuris, ——————— ana Unciam ſemis:
Maſtiches, ——————— Unciam unam:

Olei

Olei Nardini ——————— Uncias duas:

Ceræ albæ ——————— Libras tres.

Omnibus ſimul lento igne liquatis, fiat Unguentum ſecundum artem.

Podagricis confert, nephriticis, iſchiadicis, itemque ad vitia & dolores nervorum.

UNGUENTUM AREGON

Nicolai Salernitani.

℞. Foliorum Majoranæ,
Roriſmarini,
Serpilli,
Rutæ, — ana Uncias quatuor & ſemis:

Lauri,
Salviæ,
Sabinæ, ——— ana Uncias tres:

Pulicariæ majoris,
minoris,
— ana Uncias quatuor:

Calaminthæ ——— Uncias ſex:

Laureolæ ——— Uncias novem:

Radicum Cucumeris agreſtis,
Ari, — ana Uncias quatuor & ſemis:

Bryoniæ ——— Uncias tres.

Infunde in
Olei Olivarum ——— Libris quinque.

Mace-

Macera per dies octo: coque ad consumptionem humiditatis, cola & exprime: expresso adde

Butyri recentis ———————— Uncias quatuor:

Adipis Ursini,
Olei Laurini, ———————— ana Uncias tres:

Ceræ albæ ———————— Uncias quindecim.

Liquatis simul omnibus affunde

Petrolei ———————— Unciam unam:

Olei Moschellini, vel loco illius Nardini
— Unciam semis.

Ultimo, quæ sequuntur, rite pulverisata insperge:

Zingiberis,
Pyrethri,
Euphorbii,
Piperis nigri, ———————— ana Unciam unam:

Mastiches,
Thuris, ———————— ana Drachmas sex.

Misce, & fiat Unguentum.

Convulsionibus ac resolutionibus partium, dolori etiam colico & nephritico prodest.

UNGUENTUM AGRIPPÆ
NICOLAI SALERNITANI.

℞. Radicum recentium Bryoniæ ——— Libras duas:

Cucumeris agrestis
— Libram unam:

Radi-

Radicum recentium Scillæ ——— Libram ſemis:
Iridis ——— Uncias tres:
Filicis,
Ebuli,
Tribulorum aquaticorum virentium,
— ana Uncias duas.

Contuſa omnia infunde in
Olei Olivarum ——— Libris quatuor.

Macera per dies octo, coque ad conſumptionem humiditatis, cola cum forti expreſſione: expreſſo adde
Ceræ albæ ——— Uncias quindecim.

Liquefiat in Oleo ad perfectam miſtionem, & juſtam conſiſtentiam Unguenti.

Hydropi, œdemati, urinæ ſuppreſſioni, ac nervorum affectibus prodeſt.

UNGUENTUM DIALTHÆA

NICOLAI SALERNITANI.

℞. Radicum Althææ ——— Libram unam:
Seminum Lini,
Fœni-græci, ——— ana Libram ſemis.

Contuſa infunde in Aquæ fontis Libris octo: macera per triduum, coque ad extractionem mucilaginis, cola & fortiter exprime: expreſſo adde
Olei Olivarum ——— Libras quatuor.

Coque

Coque ad humiditatis consumptionem, iterum cola, & adde

Ceræ flavæ ——————— Uncias quindecim:

Terebinthinæ Venetæ ——————— Uncias duas:

Resinæ Pini ——————— Uncias sex.

Liquefactis omnibus & percolatis, fiat Unguentum secundum artem.

Emolliendi vim habet, maturandi, & humectandi.

UNGUENTUM DIGESTIVUM.

℞. Terebinthinæ Venetæ,
Olei Olivarum, ——————— ana Libram unam:
Ceræ albæ ——————— Uncias octo.

Liquatis simul omnibus, fiat Unguentum.

Usus notissimus est, & patet ex nomine.

UNGUENTUM BASILICON MESUÆ.

℞. Olei Olivarum ——————— Libras duas:
Picis græcæ,
Resinæ Pini,
Ceræ flavæ, ——————— ana Uncias quatuor.

Liquefacta omnia simul percolentur, & agitentur, ut fiat Unguentum justæ consistentiæ.

Ulcera phlegmone carentia tergit, & carne replet.

UNGUENTUM RESINUM.

℞. Olei Olivarum,
Terebinthinæ Venetæ,
Resinæ Pini, ——————— ana Uncias tres:
Ceræ flavæ ——————— Uncias duas.

Cera & Resina in Oleo liquefactis, & percolatis, ultimo Terebinthinam affunde, ut fiat Unguentum.

Cava ulcera carne implet.

UNGUENTUM GRATIA DEI

PETRI DE ARGILLATA.

℞. Foliorum Betonicæ,
Verbenæ,
Consolidæ majoris.
minoris,
Centaurii minoris,
Pimpinellæ,
Hyperici,
Gratiolæ,
Pastinacæ silvestris,
— ana Manipulum unum.
Contunde, & macera in
Vini albi ——————— Libra semis:
Olei Olivarum ——————— Libris tribus.

Coque ad consumptionem humiditatis, cola & fortiter exprime: expresso adde

Ceræ

Ceræ flavæ ———————— Libram unam:
Resinæ Pini ———————— Unciam semis:
Terebinthinæ Venetæ ———— Uncias tres.

Liquefactis omnibus, & percolatis admisce
Ammoniaci Aceto dissoluti ——— Uncias sex:
Galbani similiter præparati —— Unciam semis.

Ultimo insperge, quæ sequuntur, in pulverem redacta:
Thuris,
Mastiches,
Myrrhæ,
Radicum Aristolochiæ rotundæ,
— ana Unciam semis.

Misce, & fiat Unguentum ex lege artis.

Contusis efficaciter medetur, carnem restituit, & ulcera consolidat.

UNGUENTUM DE BETONICA

JACOBI DE CARPO.

℞. Foliorum Betonicæ,
Matrisilvæ,
Salviæ, ———— ana Uncias tres.

Contunde, & macera per dies octo in
Olei Rosati ———————— Libra una.

Bulliant lento igne ad consumptionem humiditatis, cola, & fortiter exprime: expresso admisce

Resinæ Pini,
Terebinthinæ Venetæ, ——— ana Libras tres:
Elemi ——— Unciam unam & semis:
Ceræ flavæ ——— Uncias duas.

Liquefactis omnibus, & iterum colatis insperge, quæ sequuntur, rite pulverisata:
Mastiches,
Thuris, ——— ana Unciam unam & semis.

Misce, & fiat Unguentum secundum artem.

Efficaciter prodest vulneribus capitis, quæ abstergit, & carne implet.

UNGUENTUM DE NICOTIANA.

℞. Succi Nicotianæ ——— Libras sex:
Olei Olivarum ——— Libras tres.

Bulliant lento igne ad humiditatis evaporationem: dein cola, & adde
Ceræ flavæ,
Resinæ Pini repurgatæ, ——— ana Uncias octo.

Liquefactis simul omnibus, &, si opus fuerit, iterum colatis affunde
Terebinthinæ Venetæ ——— Libram unam:
Olei Hyperici ——— Uncias sex.

Misce, & fiat Unguentum ex lege artis.

Ulcera chironia, depascentia, antiqua, & mali moris potenter curat.

UN-

UNGUENTUM APOSTOLORUM
AVICENNÆ.

℞. Terebinthinæ Venetæ,
Reſinæ Pini,
Ammoniaci, —— ana Drachmas quatuordecim:

Thuris,
Bdellii,
Radicum Ariſtolochiæ longæ,
— ana Drachmas ſex:

Myrrhæ,
Galbani, ———— ana Drachmas quatuor:

Opopanacis,
Viridis Æris, ———— ana Drachmas duas:

Lithargyrii ———— Drachmas novem:

Ceræ albæ ———— Uncias quatuor:

Olei Olivarum ———— Libras duas.

Lithargyrium in Olei portione blando igne commiſce ad perfectam nutritionem; tum ſenſim Olei reliquum affunde, & Ceram, & Reſinam minutim conciſas, ut ſimul liquentur: his ab igne remotis adjunge Gummi ſive lacrymas non pulveriſabiles, Aceto diſſolutas, & cum Terebinthina permiſtas; reliqua deinde inſperge ſubtiliter pulveriſata, & ultimo Viride Æris. Miſce, ut fiat Unguentum ex lege artis.

Efficax eſt ad vulnera & ulcera contumacia; fiſtulas abſumit, carnem mortuam ſeparat, amiſſam reparat.

UN-

UNGUENTUM DAMASCENUM.

℞. Unguenti Resini ——————— Libram unam:
Viridis Æris ——————— Unciam semis.

Misce ad ignem lentum ex lege artis.

Ulcera detergit; fungosam carnem & superfluam absumit.

UNGUENTUM ÆGYPTIACUM MESUÆ.

℞. Mellis despumati ——————— Libram unam:
Aceti Rosati ——————— Libram semis:
Viridis Æris ——————— Uncias quatuor:

Coquantur omnia simul ad consistentiam & similitudinem Unguenti.

Antiqua ulcera & fistulosa tergit, putredinem aufert, carnem excrescentem & mortuam exedit.

UNGUENTUM SATURNINUM.

℞. Terebinthinæ Venetæ ——————— Unciam unam:
Ceræ albæ ——————— Unciam semis:
Olei Rosati ——————— Uncias duas:

Lique-

Liquefactis ſimul ad lentum ignem inſperge
Plumbi uſti,
Lithargyrii, ——————— ana Unciam unam:
Ceruſſæ lotæ,
Antimonii crudi, ——— ana Unciam ſemis.

Miſce, & fiat Unguentum ſecundum artem.

Exſiccat, refrigerat, & carnem humidam reprimit.

UNGUENTUM ALBUM RHASIS
VULGO
UNGUENTUM PAULI.

℞. Olei Olivarum ——————— Libram unam:
Ceræ albæ cum eodem liquefactæ — Uncias tres:
Ceruſſæ ——————————— Uncias ſex.

Miſce, & fiat Unguentum.

Refrigerat, & leniter adſtringit; excoriationibus, levioribuſque ambuſtionibus prodeſt.

Si ad ſingulas Unguenti Libras adjeceris
Camphoræ raſæ ——————— Scrupulos quatuor,

& perfecte miſcueris, erit Unguentum Album Camphoratum.

UN-

UNGUENTUM DE MINIO.

℞. Olei Olivarum ———————— Libram unam:
Ceræ albæ cum eodem liquefactæ — Uncias duas:
Minii ———————————— Uncias ſex.

Miſce, & fiat Unguentum.

Potenter refrigerat & exſiccat; igni ſacro, & exedentibus ulceribus auxilio eſt.

UNGUENTUM DE LITHARGYRIO

SIVE

NUTRITUM.

℞. Lithargyrii lævigati ——————— Uncias duas:
Ceruſſæ ———————————— Unciam ſemis.

Miſce in mortariolo plumbeo, & affunde per vices
Olei Roſati ——————— Uncias duas & ſemis:
Aceti optimi ————————— Unciam unam.

Agita omnia ſimul, donec pulveres liquorem recte combiberint.

Sarcoticum eſt, epuloticum, cutiſque ulceribus prodeſt.

UNGUENTUM DE TUTIA.

℞. Succi Solani ——————— Uncias octo:
Olei Rosati ——————— Uncias decem.

Bulliant simul ad consumptionem humiditatis: adde
Ceræ albæ ——————— Uncias duas.

Liquatis simul omnibus insperge
Cerussæ ——————— Uncias quatuor:

Plumbi usti,
Tutiæ præparatæ, ——— ana Uncias duas:

Thuris subtiliter pulverisati —— Unciam unam.

Misce, & fiat Unguentum.

Erysipelata siccat, ulcera sordida purgat, carne replet, & ad cicatricem perducit.

UNGUENTUM DE CALCE
AVICENNÆ.

℞. Olei Rosati ——————— Libras duas:

Ceræ albæ,
Calcis vivæ Aqua Rosarum septies lotæ,
— ana Uncias tres.

Fiat Unguentum ex lege artis, cujus præscripta quælibet portio ante usum malaxetur cum sufficienti quantitate Albuminis Ovi recentis.

Ambustis, erysipelatibus, & antiquis tibiarum ulceribus prodest.

UNGUENTUM AD SCABIEM.

℞. Unguenti Rosati ———————— Uncias duas:
Olei Laurini,
Florum Sulphuris,
Salis Marini subtiliter pulverisati,
— ana Unciam semis.

Misce omnia simul, & fiat Unguentum.

Scabiem citissime exsiccat, sed maxima cautione administrandum.

UNGUENTUM AD TINEAM.

℞. Laminarum Scillæ recentis —— Libram unam.

Infunde in
Olei Olivarum ———————— Libris duabus.

Coque ad humiditatis consumptionem, cola & exprime: expresso adde
Resinæ Pini repurgatæ ——————— Libram semis:
Ceræ albæ ———————— Unciam unam & semis.

Liquefactis simul omnibus insperge
Lithargyrii, ——— ana Unciam unam & semis:
Viridis Æris ———————————— Uncias duas.

Misce, & fiat Unguentum secundum artem.

Ad achores, crustas, & manantia capitis ulcera.

UNGUENTUM AD STRUMAS
Barbette.

℞. Ceruſſæ lævigatæ cum Spiritu Vini ſubactæ — Unciam unam:
Aluminis rupei ———————— Unciam ſemis:
Salis marini ———————— Drachmas duas:
Olei Laurini ———————— Unciam unam.

Pulveriſatis pulveriſandis, fiat Unguentum ex lege artis.

Patet uſus ex nomine.

UNGUENTUM DE STAPHIDE-AGRIA
Jacobi Manlii.

℞. Seminum Staphidis-agriæ pulveriſatorum,
Saponis Veneti tenuiter raſi, — ana Uncias duas:
Mercurii crudi ——— Unciam unam & ſemis:
Terebinthinæ — quantum ſufficit ad Mercurii extinctionem:
Axungiæ Porcinæ ———————— Uncias tres.

Agitatis ſimul omnibus, ac rite permiſtis, fiat Unguentum.

Ad pediculos enecandos.

UNGUENTUM MERCURIALE.

℞. Axungiæ Porcinæ præparatæ —— Libram unam:
Terebinthinæ Venetæ ———— Unciam unam:
Mercurii crudi ———————— Uncias duas.

Mercurium cum Terebinthina extingue, & exacte ſimul omnibus in mortario marmoreo permiſtis, fiat Unguentum.

Uſus ad luem veneream exſtirpandam.

UNGUENTA BALSAMICA.

BALSAMUM ARCÆI.

℞. Terebinthinæ Venetæ,
Elemi,
Sebi Ovilli, ———————— ana Uncias duas:
Olei Hyperici ——————— Unciam ſemis:
Ceræ albæ ———————— Drachmas duas.

Omnibus lento igne ſimul liquefactis, & percolatis, fiat Unguentum ſive Balſamum.

Feliciter uſurpatur in capitis vulneribus.

BALSAMUM LOCATELLI.

℞. Olei Olivarum,
Terebinthinæ Aqua Rosarum lotæ,
— ana Libram unam:
Ceræ flavæ ————————— Uncias quatuor.

Liquatis ad ignem lentum adde
Vini Malvatici ————————— Libram unam:

Bulliant ad consumptionem humiditatis: vase ab igne remoto, admisce
Olei Hyperici ————————— Uncias duas:
Balsami Peruviani —— Unciam unam & semis:
Santali rubri subtiliter pulverisati
— Unciam unam.

Agita usque ad refrigerationem, ut fiat Balsamum.

Interne adhibetur ad ulcuscula pulmonum tergenda, & consolidanda.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas tres.



LINIMENTA.

LINIMENTUM DE SPERMATE CETI.

℞. Spermatis Ceti —— Drachmam unam & ſemis:
Ceræ albæ ———————— Drachmas tres:
Olei Amygdalarum dulcium —— Unciam unam.

Liqueſcant ſimul blando calore, & fiat Linimentum.

Mammarum duritiem mollit, lac coagulatum reſolvit.

LINIMENTUM AD SCABIEM NON SULPHURATUM.

℞. Terebinthinæ Aqua Roſarum lotæ — Uncias duas:
Succi Aurantiorum —— Unciam unam & ſemis:
Vitellos Ovorum ———————— Numero duos:
Butyri recentis ———————— Unciam unam:
Olei Roſati ———————— Unciam ſemis.

Commiſtis ſimul omnibus in mortariolo, fiat Linimentum.

Tutiſſime adhibetur ad ſcabiei pruritum leniendum.

LINIMENTUM OPHTHALMICUM.

℞. Butyri recentis Aqua Euphrasiæ pluries abluti — Uncias quatuor:

Tutiæ præparatæ ——————— Unciam semis.

Misce, & fiat Linimentum.

Ad oculos prurientes, lippitudinem, ac pustulas palpebrarum.

LINIMENTUM SATURNINUM.

℞. Plumbi usti,
Oculorum Cancrorum præparatorum, — ana Drachmas tres:

Olei Rosati ——————— Uncias tres:

Succi Solani ——————— Uncias duas.

Plumbum Oleo nutritum diluatur Succo per vices affuso in mortariolo plumbeo: ultimo admisceantur Oculi Cancrorum, & fiat Linimentum secundum artem.

Ad herpetes, erysipelata, & ulcera depascentia commode adhibetur.

SECTIO XV.

QUÆ EST

DE

EMPLASTRIS MOLLIBUS ET CATAPLASMATIS.

EMPLASTRA MOLLIA.

EMPLASTRUM DE MELILOTO MESUÆ.

℞. Ceræ flavæ ——————— Uncias ſex:

Sebi Caprini,
Reſinæ Pini, ——— ana Uncias duas & ſemis:

Olei de Majorana,
de Lavandula, —— ana Uncias quindecim.

Liquefac omnia ſimul ad lentum ignem, & cola per linteum rarum: colatis admiſce

Pulpam Ficuum pinguium — Numero duodecim,

ex-

extractam secundum artem, adhibita sufficienti quantitate Decocti florum Chamæmeli, Meliloti, & Fœni græci. Insperge postea, quæ sequuntur, per gradus pulverisata:

Florum Meliloti ——————— Uncias sex;

Chamæmeli,
Seminum Fœni græci,
Ammeos,
Baccarum Lauri,
Summitatum Majoranæ,
Absinthii,
Radicum Althææ,
Apii,
Ireos Florentinæ,
Cyperi Orientalis,
Cardamomi enucleati,
Nardi Indicæ,
Casiæ Ligneæ, — ana Drachmam unam & semis.

Ultimo adde infrascripta invicem prius commista:

Ammoniaci Aceto soluti —— Drachmas decem:

Bdellii similiter præparati,
Styracis Oleo Spicæ liquefactæ,
— ana Drachmas quinque:

Terebinthinæ Venetæ — Unciam unam & semis.

Misce omnia, fortiter agitando, & fiat Emplastrum molle.

Ventriculi, hepatis, lienis, ac reliquorum viscerum duritiei molliendæ plurimum confert.

EMPLASTRUM DE AMMONIACO FORESTI.

℞. Olei Irini ——————— Uncias ſex:

Unguenti Dialthæa ——— Drachmas duas:

Adipis Anatini,
Anſerini,
Gallinacei,
— ana Drachmam unam & ſemis:

Mucilaginis ſeminum Fœni græci,
Lini, — ana Unciam unam.

Coque igne moderato ad humiditatis abſumptionem, & adde

Ceræ flavæ ——————— Uncias duas:

Reſinæ Pini ——————— Drachmas ſex.

Liquefactis ſimul omnibus, colatis, & ab igne ſepoſitis adde infraſcripta, invicem prius commiſta:

Ammoniaci Aceto diſſoluti —— Unciam ſemis:

Galbani,
Bdellii, — ſimiliter præparatorum ana Drachmam unam:

Emplaſtri de Meliloto ——— Libram ſemis.

Ultimo inſperge, quæ ſequuntur, ſubtiliter pulveriſata:

Radicum Bryoniæ,
Ireos Florentinæ,
— ana Drachmas duas,

Fur-

Furfuris Triticei ——————— Unciam ſemis.

Miſce, & fiat Emplaſtrum molle ex lege artis.

Coctionem ac digeſtionem promovet, inflammationem tollit, indurata emollit, ulcera abſtergit & conſolidat.

EMPLASTRUM DE GALBANO CROCATUM

MYNSICHT.

℞. Emplaſtri de Meliloto,
Maſſæ Cerati Diachylon ſimplicis,
— ana Uncias tres:

Ceræ flavæ ————————— Uncias duas.

Liquefactis, & ab igne remotis adde
Galbani Aceto diſſoluti ac præparati
— Uncias ſex:

Terebinthinæ Venetæ ———— Unciam unam.

Ultimo inſperge
Croci ſubtiliter pulveriſati —— Drachmas ſex.

Miſce, & fiat ſecundum artem Emplaſtrum molliuſculum.

Tumores duros mollit, vehementes partium dolores ſedat, ſtrumas recentes & inveteratas digerit, concoquit, & reſolvit.

EMPLASTRUM DE CICUTA
SCHRODERI.

℞. Cicutæ cum floribus & feminibus exficcatæ, & pulverifatæ — Uncias novem:

Succi expreffi ejufdem ——— Uncias quatuor:

Olei de Capparibus —— Libram unam & femis:

Irini ——————— Uncias fex.

Digere omnia fimul per dies quatuor, coque ad confumptionem humiditatis, cola & fortiter exprime: expreffo adde

Ceræ flavæ ———— Uncias quatuor & femis:

Galbani fucco Cicutæ diffoluti — Unciam unam & femis.

Liquefactis omnibus, & fimul commiftis, fiat Emplaftrum molle.

Lienem obftructum aperit, roborat, ejufque duritiem emollit.

EMPLASTRUM DE BACCIS LAURI
MESUÆ.

℞. Baccarum Lauri ——————— Uncias duas:

Thuris,
Maftiches,
Myrrhæ, ———————— ana Unciam unam:

Cype-

Cyperi Orientalis,
Cofti, ———————————— ana Unciam femis:

Pulverifata omnia commifce cum
Mellis defpumati ————————— Unciis novem.

Adde
Olei Laurini,
Ceræ flavæ cum eo liquefactæ,
Terebinthinæ, ——————— ana Unciam femis.

Mifce, & fiat Emplaftrum molle.

Ventriculi, inteftinorum, hepatis, & aliorum vifcerum dolorem a flatibus ortum mitigat.

EMPLASTRUM DE CRUSTA PANIS MONTAGNANÆ.

℞. Cruftæ Panis toftæ, dimidiam horam in Aceto maceratæ — Uncias duas:
Farinæ Hordei ————————— Unciam unam:
Specierum Emplaftri de Crufta Panis — Drachmas fex:
Olei Maftichini,
Cydoniorum, ——— ana Unciam unam.

Mifce omnia fimul, & fiat fine igne Emplaftrum molle, ex tempore parandum.

Vomitum efficaciter fiftit, & iis qui cibum retinere nequeunt auxiliatur.

CATAPLASMATA.

CATAPLASMA DE NIDO HIRUNDINIS.

℞. Pulpæ Caſſiæ ſecundum artem extractæ — Unciam unam & ſemis:
Nidi Hirundinis pulveriſati —— Drachmas ſex:
Olei de Floribus Nymphææ — quod ſatis fuerit.

Miſce pro Cataplaſmate.

In angina commendatur ad reſolvendum.

CATAPLASMA AD PLANTAS PEDUM.

℞. Fermenti acris,
Saponis nigri, —— ana Unciam unam & ſemis:
Seminum Sinapi ———— Uncias quatuor:
Salis Prunellæ ———— Drachmam unam:
Herbæ Rutæ contuſæ ——— Pugillum unum:
Aceti acerrimi ———— quantum ſufficit.

Miſce, & fiat Cataplaſma.

Uſus in ſoporoſis affectibus pro ſtimulo.

SINAPISMUS DAMOCRATIS.

℞. Caricarum pinguium ——— Libram ſemis.

Macera per diem in ſufficienti quantitate Aquæ calentis: fortiter expreſſas tunde in formam Cataplaſmatis, & adde

Seminum Sinapi optime contuſorum – Uncias tres.

Miſce, & fiat Cataplaſma vel Sinapiſmus.

SINAPISMUS COMMUNIS.

℞. Seminum Sinapi rite contuſorum — Uncias tres:

Fermenti acris ——— Libram ſemis.

Adhibito Aceto forti, ex arte fiat Cataplaſma.

Sinapiſmi utriuſque uſus ad revellendum & reſolutas partes excitandas.

PASTA VESICATORIA.

℞. Cantharidum ——— Drachmas quatuor:

Euphorbii ——— Drachmas duas:

Fermenti acris ——— Uncias tres.

Pulveriſatis pulveriſandis, cum ſufficienti quantitate Aceti Scillitici fiat Cataplaſma ex lege artis.

SECTIO XVI.

QUÆ EST

DE

CERATIS

SIVE

EMPLASTRIS SOLIDIS.

Quæ ex communi uſu apud nos Cerata nuncupavimus a ſuis pleraque Auctoribus Emplaſtra appellata ſunt.

CERATUM DIACHALCITEOS
SIVE DIAPALMA.

℞. Olei Olivarum ——————— Libras tres:
Axungiæ Porcinæ veteris ——— Libras duas.

Leni calore ſimul liquatis inſperge
Lithargyrii lævigati ——————— Libras tres.

Agita uſque ad perfectam Lithargyrii nutritionem: coque igne mediocri, & adde

Vi-

Vitrioli ad rubedinem calcinati
— Uncias quatuor.

Rursus coque ad justam spissitudinem, nunquam intermissa agitatione; massam deinde semirefrigeratam supra tabulam projice, ut fiant cylindri sive magdaleones.

Valide adstringit, & humorum affluxum cohibet: cruentis vulneribus, ambustis, & contusis utiliter admovetur.

CERATUM ALBUM
DE CERUSSA.

℞. Olei Olivarum,
Cerussæ lævigatæ, ——— ana Libras duas.

Misce, agita, & coque igne moderato ad justam consistentiam: sub finem adde
Ceræ albæ ——— Uncias duas;
& fiat Ceratum secundum artem.

Refrigerat, exsiccat, & cutis productionem accelerat.

CERATUM DE MINIO.

℞. Olei Olivarum ——— Libras duas:
Minii ——— Libram unam,

Coque ad justam consistentiam Cerati.

Tibiarum ulcera ad cicatricem perducit.

CERATUM NORIMBERGENSE.

℞. Olei Rosati ———————— Uncias octo:
Minii ———————— Libram unam:
Aquæ fontis ———— Uncias quatuordecim.

Coque simul lento igne ad humiditatis evaporationem & ultra, dum massa fiat obscure rubra vel nigricans: semirefrigeratæ adde
Camphoræ rasæ ———————— Drachmas sex.

Misce, & fiat Ceratum ex lege artis.

Nervosas partes roborat, tumores resolvit, ulcera exsiccat, & ad cicatricem ducit.

CERATUM DE LITHARGYRIO.

℞. Olei vetustissimi ——— Libras duas & semis:
Aceti acerrimi ———————— Libram semis:
Lithargyrii lævigati ———— Libram unam.

Coque omnia simul ad justam consistentiam: in fine adde
Ceræ flavæ ———————— Uncias tres.

Fiat Ceratum secundum artem.

Ulcera difficilia curat, cruenta glutinat, fistulas resolvit.

CERATUM PRO FONTICULIS.

℞. Cerati de Lithargyrio ——— Libram unam:
Ceræ albæ,
Terebinthinæ, ——— ana Unciam unam.

Liquefactis ad lentum ignem insperge
Ireos Florentinæ subtiliter pulverisatæ
— Uncias duas.

Misce, & ab igne remove: refrigescenti adde
Benzoini pulverisati — Unciam unam & semis.

Reformetur Ceratum ex arte.

Attrahit, pravumque odorem cohibet.

CERATUM SATURNINUM
MYNSICHT.

℞. Sebi Hircini,
Ceræ albæ, ——— ana Unciam unam & semis:
Terebinthinæ ——— Drachmas sex.

Ad lentum ignem liquefactis insperge, quæ sequuntur, subtiliter pulverisata:
Plumbi usti ——— Uncias duas:
Cerussæ,
Lapidis Calaminaris, ——— ana Unciam semis:
Pompholygos,
Tutiæ, ——— ana Drachmas duas:

Myrrhæ,
Mastiches;
Thuris, ———————— ana Drachmam unam:

Aloes Hepaticæ,
Camphoræ,
Nitri, ———————— ana Drachmam semis.

Misce, & fiat Ceratum ex arte.

Valet contra omnis generis ambusta, inflammationes, ac tumores; vulnera etiam & ulcera mali moris abstergit, & carne implet.

CERATUM STYPTICUM
CROLLII.

℞. Olei Olivarum,
Seminum Lini,
— ana Libram unam & semis:

Minii,
Lapidis Calaminaris, ——— ana Libram semis:

Lithargyrii ———————— Libram unam.

Coque simul ex arte ad humiditatis evaporationem; deinde sume
Ceræ flavæ,
Picis Græcæ; ———————— ana Libram unam:

Sandarachæ ———————— Libram semis:

Liquescant simul modico igne, una cum
Olei Laurini ———————— Unciis sex.

Fiat

Fiat accurata omnium miſtio; & vaſe ab igne remoto, quæ ſequuntur, inter ſe pariter commiſta adjunge:

Galbani,
Ammoniaci,
Sagapeni,
Opopanacis,
Bdellii, — Aceto diſſolutorum ana Uncias tres:

Terebinthinæ ——— Libram ſemis.

Dein pulveriſata inſperge:

Thuris,
Myrrhæ,
Aloes Hepaticæ,
Radicum Ariſtolochiæ rotundæ,
longæ,
Succini, ——— ana Unciam unam & ſemis;

Mumiæ,
Magnetis,
Lapidis Hæmatitis;
Coralliorum rubrorum,
alborum,
Matris Perlarum,
Sanguinis Draconis,
Terræ Sigillatæ,
Vitrioli albi, ——— ana Unciam unam:

Florum Antimonii,
Croci Martis adſtringentis, — ana Unciam ſemis.

Ultimo ſuperadde

Camphoræ Oleo Laurino diſſolutæ
— Unciam unam.

Miſce, & fiat Ceratum ſecundum artem.

Vul-

Vulneribus punctatis, morsibus animalium, & ulceribus prodest.

CERATUM MANUS DEI

Codicis Parisiensis.

℞. Olei Olivarum ——————— Libras duas:
Lithargyrii lævigati ————— Libram unam.

Agita simul in cacabo amplo ad perfectam nutritionem, deinde affunde
Aquæ fontis ——————— Libram unam.

Coque ad justam Cerati spissitudinem, & adde
Ceræ flavæ ——————— Libram semis;

qua liquefacta, remove cacabum ab igne, & adde, quæ sequuntur, invicem prius commista:
Galbani,
Ammoniaci,
Sagapeni,
Opopanacis,
— Aceto dissolutorum ana Uncias duas:

Terebinthinæ ——————— Uncias tres:

Olei Laurini ———— Unciam unam & semis.

Ultimo pulverisata insperge:
Lapidis Calaminaris,
Magnetis,
Radicum Aristolochiæ longæ,
rotundæ,
— ana Unciam unam:

Thu-

✝ Thuris,
✝ Mastiches, ———————— ana Uncias duas.

Misce, & fiat Ceratum ex lege artis.

Detergit, mundificat, mollit, resolvit, roborat, & exsiccat: tumoribus, contusionibus, & ulceribus omnis generis confert.

CERATUM SACRUM
SIVE
DIADICTAMNUM GALENI.

℞. Olei Olivarum veteris ———— Libras duas:
Lithargyrii ———————— Libram unam.

Post sufficientem agitationem coque lento igne ad justam consistentiam, & adde
Ceræ flavæ ———————— Uncias tres:
Propoleos ———————— Unciam unam;

quibus liquefactis, vas ab igne remove, & adde, quæ sequuntur, prius inter se commista:
Ammoniaci Aceto dissoluti
— Unciam unam & semis:
Galbani similiter præparati —— Unciam unam:
Terebinthinæ ———————— Libram semis.

Ultimo pulverisata insperge:
Summitatum Dictamni Cretici
— Drachmas decem:

Ra-

Radicum Ariſtolochiæ longæ,
Aloes Hepaticæ, ———— ana Unciam unam:
Thuris ———— Unciam unam & ſemis:
Radicum Gentianæ ———— Drachmas ſex:
Viridis Æris ———— Unciam unam:
Squamæ ejuſdem præparatæ
— Uncias duas & ſemis.

Miſce, & fiat Ceratum.

Valet ad recentia vulnera cruenta, nervorum præciſiones, ulcera depaſcentia, contuſa, parotides, & venenatos animalium morſus.

CERATUM BARBARUM
Pauli Æginetæ.

℞. Bituminis Judaici,
Picis Navalis,
Reſinæ Pini, ———— ana Libram unam:
Terebinthinæ,
Ceræ flavæ, ———— ana Uncias duas.
Liquefiant ſimul lento igne: interim ſume
Lithargyrii ———— Unciam unam:
Ceruſſæ ———— Unciam unam & ſemis:
Olei Olivarum veteris ———— Uncias tres:
Aceti acerrimi ———— Unciam unam.

Co-

Coque ad juſtam conſiſtentiam, & miſce paullatim cum ſupradictis Reſinis & Bitumine, liquefactis & percolatis. Remove ab igne, & inſperge, quæ ſequuntur, ſubtiliter pulveriſata:

Zingiberis,
Thuris,
Opopanacis, ——————— ana Uncias duas.

Miſce, & fiat Ceratum.

Cruentis vulneribus præcipue ſutura conjunctis utile eſt, fracturiſque, ad callum obducendum.

CERATUM SPARADRAPPUM.

℞. Unguenti Populeon ——————— Libram ſemis:
Roſati ——————— Uncias tres:
Olei Roſati ——————— Libram unam & ſemis:
Axungiæ Porcinæ ——————— Uncias duas & ſemis:
Adipis Vitulini ——————— Uncias octo.

Liquatis affunde
Succi Plantaginis,
Solani, ——————— ana Uncias tres.

Bulliant ad conſumptionem ſuccorum, &, facta colatura, adde
Ceruſſæ ——————— Uncias ſex:
Lithargyrii ——————— Uncias quatuor:
Minii,
Terræ Sigillatæ, ——————— ana Drachmas decem.

Agita & coque ad justam consistentiam: ultimo superadde

Ceræ albæ —————————— Uncias tres:

Camphoræ rasæ ————— Drachmam unam.

Misce, ut fiat Cerati massa, cui etiamnum calenti immerge telam vetustate detritam, sed tamen mundam, quæ utrinque Cerato obducta erit *Sparadrappum*, & in usum servabitur.

Ulcera maligna, depascentia, phagedænica, & curatu difficilia expurgat, & consolidat.

CERATUM DE RANIS CUM MERCURIO
JOANNIS DE VIGO.

℞. Axungiæ Porcinæ,
Adipis Vitulini, ———— ana Libram unam:
Vini generosi ——————— Libras quatuor.

Incalescant simul ad liquefactionem Adipum: liquatis immitte

Ranas viventes ————— Numero duodecim:
Lumbricorum ———————— Uncias septem.

Decoque ad consumptionem tertiæ partis Vini, & adde

Foliorum Matricariæ,
Comarum Stœchados,
Schœnanthi, ——— ana Manipulum unum.

Evaporato Vino, affunde

Adipis Viperini ————— Uncias quinque:

Olei

Olei Chamæmelini,
Anethini,
de Lavandula,
de Liliis albis,
Succi Radicum Enulæ Campanæ,
Ebuli, —— ana Uncias quatuor:

Olei Laurini ———————— Uncias tres.

Iterum coque leni calore ad reliquæ humiditatis consumptionem: cola cum forti expressione: in expresso Oleo dissolve
Lithargyrii ———————— Libras duas.

Misce & agita ad perfectam nutritionem Lithargyrii: coque ad justam consistentiam, & adde
Ceræ flavæ ———————— Libram unam;

qua liquefacta, & vase ab igne remoto, admisce
Terebinthinæ ———————— Uncias quatuor:

Styracis liquidæ ———————— Uncias tres:

Mercurii cum Terebinthina supradicta, & Styrace extincti — Uncias octo.

Ultimo, quæ sequuntur, rite pulverisata insperge:
Thuris ———————— Drachmas viginti:

Euphorbii ———————— Drachmas decem:

Croci ———————— Drachmas duas.

Misce & agita usque ad remissionem caloris, & fiat ex lege artis Ceratum.

Dolores artuum a lue venerea ortos lenit, strumosos tumores ab eadem causa productos mollit, ac resolvit.

Paratur aliquando Ceratum hoc sine Mercurio, ali-

quando cum duplicata, immo triplicata, & quadruplicata dosi Mercurii.

CERATUM VIPERINUM.

℞. Unguenti Populeon ——————— Libram unam:
Adipis Viperini —————————— Uncias tres.
Liquatis simul ad lentum ignem admisce
Lithargyrii —————————— Uncias quatuor:
Minii ———————————— Unciam unam.
Coque ad justam consistentiam, & adde
Picis Græcæ ——————————— Uncias sex:
Ceræ albæ ——————————— Uncias duas.
Ultimo insperge
Spinarum Viperinarum subt. pulv. — Uncias duas.
Misce, & fiat Ceratum.

Tumores duros discutit, tophos gummosos emollit, ac resolvit.

CERATUM NERVINUM
ZWELFFERI.

℞. Summitatum & Fol. Rorismarini,
Betonicæ,
Centaurii minoris,
— ana Manipulum unum:
Lumbricorum terrestrium ——— Uncias quatuor:
Radi-

Radicum Rubiæ ———————— Drachmas decem:

Foliorum Hyperici,
Summitatum maturefcentium ejufdem,
— ana Manipulum unum.

Contunde, & macera in
Vini aufteri,
Aceti acerrimi, ——————— ana Libris duabus.

Coque ad medietatis confumptionem: cola cum forti expreffione; deinde fume
Olei Rofati,
Chamæmelini, — ana Uncias duas & femis;

Seminum Lini,
Olivarum,
Terebinthinæ diftillati,
— ana Unciam unam & femis:

Lithargyrii ——————————— Uncias fex:

Minii ———————————— Uncias duas.

Coque lento igne, fuperfundendo de fuperiori decocto, donec totum confumptum fuerit; fervatis tantum Unciis duabus vel tribus pro lacrymarum diffolutione. Poft humiditatis evaporationem adde infrafcripta fimul liquefacta & percolata:
Sebi Hircini,
Vitulini, ——— ana Uncias duas & femis:

Ceræ flavæ ——————————— Uncias tres:

Picis Navalis,
Refinæ Pini, ——— ana Unciam unam & femis:

Elemi ——————————— Drachmas decem.

Com-

Commiſtis omnibus, & vaſe ab igne remoto, adde, quæ ſequuntur, pariter inter ſe miſta:

Sagapeni,
Ammoniaci,
Bdellii, ——— in reſiduo decocti diſſolutorum ana Drachmas tres.

Ultimo inſperge
Maſtiches pulveriſatæ — Unciam unam & ſemis.

Miſce, & fiat Ceratum.

Nervorum affectibus prodeſt, unde nomen.

CERATUM DIABOTANUM

Blondelii.

℞. Foliorum vel Summit. recentium cum radicibus
Bardanæ,
Petaſitidis,
Calendulæ,
Cicutæ,
Ivæ Artheticæ,
Leviſtici,
Valerianæ,
Angelicæ,
Enulæ Campanæ,
Raphani ruſticani,
Cucumeris agreſtis,
Scrophulariæ,
Sempervivi minoris,
Chelidoniæ,
Gratiolæ, ——— ana Uncias ſex.

Coque

Coque in Aquæ communis ſufficienti quantitate: decocto colato adde

Succi expreſſi Cicutæ,
Chelidoniæ,
Sclareæ, —— ana Libras quatuor:
Sempervivi min. — Libram unam.

Rurſus coque in Balneo Maris, ad Extracti ſolidioris conſiſtentiam: hoc facto accipe

Galbani,
Ammoniaci,
Opopanacis,
Sagapeni, —————— ana Uncias quatuor.

Diſſolve ſecundum artem in ſufficienti quantitate Aceti Scillitici: inſpiſſa leniter ad ignem, & miſce cum Extracto ſupradicto: interim ſume

Lithargyrii lævigati ————— Libras duas:
Olei Oliv. decocti cum Mucilaginibus radicum Althææ, ſeminum Lini, & Fœni græci:
de Floribus Meliloti,
de Lumbricis,
de Catellis, ————— ana Uncias octo:
Aquæ fontis ———————— Uncias viginti.

Coque ſimul ex arte ad Cerati paullo ſolidioris conſiſtentiam: inter coctionem vero per vices admiſce maſſam ſupra memoratam Extracti cum Gummi: exacte commiſtis omnibus, adde

Sulphuris pulveriſati ——— Uncias quindecim;

quo etiam perfecte ſoluto, affunde, quæ ſequuntur, ſeorſim prius liquefacta & percolata:

Ceræ flavæ,

Sty-

Styracis liquidæ,
Picis Græcæ, ———————— ana Libram unam:

Facta omnium miſtione, cacabum remove ab igne, & maſſæ ſemirefrigeratæ pulveriſata inſperge:

Radicum Ireos Florentinæ,
Cyclaminis,
Ranunculi tuberoſi,
Coronæ Imperialis,
Serpentariæ,
Hellebori albi, ——ana Drachmas ſex:

Sigilli Salomonis,
Ari, ———————— ana Unciam unam:

Ariſtolochiæ longæ,
rotundæ,
Aſari, ———————— ana Uncias tres:

Foliorum, vel eorum loco Corticis exterioris Piſtaciorum — Drachmas tres:

Baccarum Lauri ———————— Unciam ſemis:

Seminum Angelicæ,
Naſturtii, ——— ana Drachmas ſex:

Cumini ———————— Uncias tres:

Fimi Columbini,
Euphorbii, ———————— ana Unciam unam:

Thuris,
Maſtiches,
Bituminis Judaici, ———— ana Uncias octo:

Tacamahacæ,
Myrrhæ,
Bdellii, ———————— ana Uncias tres:

His

His omnibus rite permistis, ultimo superadde
Camphoræ rasæ —— Unciam unam & semis, dissolutæ in
Olei de Lateribus —— Unciis duabus & semis:
Caryophyllorum ———— Uncia una.

Misce, & fiat Ceratum ex lege artis.

Potenter digerit ac resolvit; scirrhosis, strumosisque tumoribus molliendis aptissimum habetur.

CERATUM DIACHYLON MESUÆ
VULGO
CERATUM MOLLITIVUM.

℞. Olei Olivarum ———— Libras duas:
Lithargyrii lævigati ———— Libram unam.
Mucilaginis ex radicibus Althææ, seminibus Lini, & Fœni græci extractæ — Libras duas.

Omnia simul rite permista coque lento igne, massam assidue agitando pistillo ligneo, donec tota imbibita fuerit mucilago. Humiditate omni consumpta, adde
Ceræ flavæ ———— Uncias tres.

Misce, & fiant, ut artis est, magdaleones.

Tumores emollit ac maturat, vulnera conglutinat.

Mucilaginis extrahendæ ratio eadem ac pro Unguento Dialthææ. Vide pag. 248.

CERATUM DIACHYLON CUM GUMMI.

℞. Maſſæ Cerati Diachylon ſimplicis — Libras tres:
Bdellii,
Sagapeni, ————————— ana Unciam unam:
Ammoniaci,
Galbani, ————————— ana Unciam ſemis.

Gummi Aceto ex arte diſſoluta, & ad melleam ſpiſſitudinem cocta admiſceantur maſſæ leni calore mollitæ; & reformetur ex lege artis Ceratum.

Eadem præſtat quæ Diachylon ſimplex, & promptius digerit, ac reſolvit.

CERATUM DIACHYLON CUM ADIPIBUS.

℞. Maſſæ Cerati Diachylon ſimplicis — Libras tres:
Adipis Anſerini,
Anatini,
Axungiæ Porcinæ, ————— ana Uncias duas.

Lento igne liqueſcant, ac ſimul agitentur, ut reformetur ſecundum artem Ceratum.

Maturandi vim habet efficaciorem quam Diachylon ſimplex.

CERATUM DE MUCILAGINIBUS
Quirici de Augustis.

℞. Olei ſeminum Lini,
de Liliis albis,
Sebi Ovilli, ———— ana Uncias quatuor.

Liquatis adde
Lithargyrii lævigati ———— Uncias quatuor:
Mucilaginis ex radicibus Althææ, ſeminibus Lini,
& Fœni græci ſecundum artem extractæ
— Libram unam.

Miſce & coque lento igne, donec mucilago penitus imbibita fuerit: poſt humiditatis evaporationem adde

Picis Navalis ———— Unciam unam & ſemis:
Ceræ flavæ ———— Uncias quinque.

Liquefactis omnibus, vas ab igne remove, &, quæ ſequuntur, inter ſe miſta ſuperadde:
Ammoniaci,
Opopanacis,
Bdellii, — Aceto diſſolutorum ana Uncias duas:
Terebinthinæ ———— Unciam unam & ſemis:
Styracis liquidæ ———— Unciam unam.

Miſce, & fiat Ceratum.

Emollit, maturat, reſolvit omnem duritiem & inflationem.

CERATUM OXYCROCEUM
NICOLAI SALERNITANI.

℞. Picis Græcæ,
Navalis,
Ceræ flavæ, ———— ana Uncias quatuor.

Liquefactis ſimul ad lentum ignem, & vaſe ab igne ſepoſito, adde, quæ ſequuntur, inter ſe prius commiſta, & leniter calefacta:
Ammoniaci Aceto diſſoluti,
Galbani ſimiliter præparati,
Terebinthinæ, ———— ana Drachmas undecim.

Ultimo pulveriſata inſperge:
Maſtiches,
Myrrhæ, ———— ana Drachmas undecim:
Croci ———— Uncias duas & ſemis.

Miſce, & fiat Ceratum ex lege artis.

Oſſium fracturis ac doloribus optatiſſimum affert ſolatium.

CERATUM DE SPERMATE CETI.

℞. Ceræ albæ ———— Uncias tres:
Spermatis Ceti ———— Uncias duas.

Liquefactis adde
Galbani Aceto diſſoluti,
Terebinthinæ,
Olei Amygdalarum dulcium, — ana Unciam unam.

Mi-

Miſce, & fiat Ceratum ſecundum artem.

Puerperis familiare eſt: lac in mammis coagulatum ſolvit, ejuſque exuberantiam abſumit; duris etiam ac ſtrumoſis tumoribus medetur.

CERATUM DIAPHORETICUM MYNSICHT.

℞. Ceræ flavæ ——————— Uncias undecim:
Picis Græcæ ——————— Uncias quatuor.

Lento igne liquatis adde, quæ ſequuntur, invicem commiſta:

Bdellii Aceto diſſoluti ——— Uncias quatuor:
Galbani ſimiliter præparati —— Unciam unam:
Ammoniaci pariter diſſoluti,
Terebinthinæ, ——————— ana Uncias duas.

Ultimo pulveriſata inſperge:

Succini ——————— Uncias tres:
Sandarachæ ——————— Unciam unam:
Thuris,
Maſtiches, ——————— ana Unciam ſemis.

Miſce, & fiat Ceratum.

Prodeſt iſchiadico dolori, intumeſcentiæ pedum, parotidibus, duritiei item crurum ac nervorum ſcorbuticæ, oſſium fracturis, luxationi, ac contuſioni.

CE.

CERATUM CAPITALE.

℞. Ceræ flavæ ——————— Unciam unam:

Resinæ Pini mollioris ——————— Uncias sex:

Liquefactis ad lentum ignem, & colatis insperge, quæ sequuntur, rite pulverisata:

Rosarum rubrarum,
Sandarachæ,
Thuris,
Mastiches,
Ligni Aloes,
Santali rubri, ——————— ana Drachmam unam:

Ladani ——————— Drachmam semis.

Misce, & fiat Ceratum.

Fluxiones capitis sistit.

CERATUM SANCTUM

JOANNIS ANDREÆ A CRUCE.

℞. Resinæ Pini ——————— Libram unam:

Elemi ——————— Uncias quatuor:

Terebinthinæ,
Olei Laurini, ——————— ana Uncias duas.

Liquefiant omnia simul lento igne, percolentur, & fiat Ceratum justæ consistentiæ.

Mundificat, glutinat, consolidat, fracturis, & contusionibus prodest.

CERATUM DE TACAMAHACA.

℞. Tacamahacæ ——————— Uncias octo:
Terebinthinæ ——————— Uncias quatuor.

Liquefactis ad lentum ignem, & per linteum rarum colatis adde
Ceræ albæ ——————— Uncias duas:
Olei Mastichini ——————— Unciam unam.

Misce, & fiat Ceratum ex lege artis.

Usus in stomachi vitiis & imbecillitate.

CERATUM DE MASTICHE RENODÆI.

℞. Ceræ flavæ ——————— Uncias tres:
Olei Myrtini ——————— Uncias sex:
Terebinthinæ ——————— Uncias duas:

Liquefactis leni calore, & permistis insperge, quæ sequuntur, in pulverem redacta:
Mastiches ——————— Uncias tres:
Boli Armenæ ——————— Unciam unam & semis:
Coralliorum rubrorum,
Rasuræ Eboris, ——————— ana Unciam semis:
Rosarum rubrarum ——————— Drachmas sex.

Misce, & fiat Ceratum.

Ad ventriculi affectus a fervore nimio, & irritatione productos.

CE-

CERATUM PRO FOETUS RETENTIONE.

℞. Picis Græcæ,
Ceræ albæ, ———————— ana Uncias tres:
Olei Rofati ———————— Uncias duas.

Liquefactis ad lentum ignem, miftis, ac femirefrigeratis infperge, quæ fequuntur, rite pulverifata:
Boli Armenæ,
Terræ Sigillatæ,
Sanguinis Draconis, ——— ana Unciam femis:
Thuris,
Mafliches,
Myrrhæ, ———————— ana Drachmas duas:
Acaciæ,
Hypociftidis, ———— ana Drachmam unam:
Pilorum combuftorum Leporis,
Talpæ,
Seminum Portulacæ,
Plantaginis,
Cydoniorum,
Acetofæ,
— ana Drachmam unam & femis.

Mifce, & fiat Ceratum fecundum artem.

Ad præcavendum abortum, & ad fœtum retinendum prægnantibus mulieribus utile eft, lumbis, & regioni umbilicali applicitum.

CERATUM DE PELLE ARIETINA.

℞. Pellem Arietinam cum ſua lana in partes diſſectam.

Coque igne moderato in ſufficienti aquæ fontis quantitaté, donec pellis in aqua fuerit diſſoluta. Decoctum cola, & lanam fortiter exprime: in expreſſo coque

Baccarum Myrti ——————— Libram ſemis:

Lumbricorum terreſtrium Vino ablutorum — Uncias quatuor:

Iterum cola & exprime: expreſſo adde

Olei Cydoniorum,
Myrtini,
Lithargyrii, ——————— ana Libram unam.

Miſce, agita, & coque ad conſumptionem humiditatis, & nutritionem Lithargyrii: quo facto immitte

Ceræ flavæ ——————— Libram unam:
Picis navalis,
Reſinæ Pini mollioris, —— ana Libram ſemis.

Liquefactis omnibus, &, vaſe ab igne remoto, ſuperadde

Ammoniaci,
Galbani, — Aceto diſſolut. ana Uncias quatuor:

Terebinthinæ ——————— Libram ſemis.

Ultimo, quæ ſequuntur, pulveriſata inſperge

Sanguinis Porcini exſiccati,
Thuris,
Myrrhæ,
Maſtiches, ——————— ana Uncias quatuor:

Radicum Ariſtolochiæ longæ,
rotundæ,
Conſolidæ majoris,
Gallarum,
Gypſi excocti,
Boli Armenæ,
Mumiæ, ———————— ana Uncias tres.

Miſce, & agita uſque ad remiſſionem caloris, & fiat Ceratum ſecundum artem.

Perito æo relaxato, omenti atque inteſtinorum herniis maxime prodeſt.

CERATUM VESICATORIUM.

℞. Ceræ flavæ,
Picis Græcæ,
Terebinthinæ, ———— ana Uncias quatuor.

Liquefactis admiſce
Cantharidum ſubt. pulveriſatarum — Uncias octo.

Miſce, & fiat Ceratum ex lege artis.



PARS SECUNDA

DE

MEDICAMENTIS CHEMICIS.

SECTIO PRIMA

QUÆ EST

DE

TINCTURIS.

TINCTURÆ SIMPLICES.

TINCTURA RHABARBARI.

℞. Rhabarbari mediocriter triti —— Unciam unam:
Spiritus Vini rectificati ———— Uncias sex.

Digere in phiala vitrea obturata arenæ calore per aliquot dies, donec imbuatur Spiritus Vini colore Rhabarbari, quantum potest imbui: sic habebitur Tinctura, quæ filtrata in usum servetur.

Ad obstructiones mesenterii, & aliorum viscerum.

Simili ratione parentur aliæ Tincturæ ex Vegetabilibus: E. G.

Tinctura Contrayervæ.
Tinctura Chinæ-Chinæ.
Tinctura summitatum Absinthii.

Tin-

Tinctura ſummitatum Hyperici.
Tinctura Roſarum Rubrarum. &c.
quæ omnes vires habent ſimplicium, ex quibus fiunt, facultatibus reſpondentes.

DOSIS enunciatarum Tincturarum a Guttis decem ad Guttas triginta & ultra.

Si adhibito Vino generoſo extrahendæ fuerint Tincturæ, eodem ordine procedendum, ut in ea extractione, quæ fit per Spiritum Vini.

TINCTURA SIVE ESSENTIA CROCI.

℞. Croci Orientalis ————— Unciam unam:
Spiritus Vini ————— Uncias ſex.

Extrahatur Tinctura ſecundum artem.

Vires habet alexipharmacas, cardiacas, & anthyſtericas.

DOSIS a Guttis quatuor ad Guttas decem.

TINCTURA SIVE ESSENTIA CASTOREI.

℞. Caſtorei Moſcovitici ————— Unciam unam:
Spiritus Vini ————— Uncias ſex.

Eadem methodo paretur, ac Tinctura Croci.

Ad

Ad capitis, nervorum, & uteri affectus plurimum commendatur.

DOSIS a Guttis quatuor ad Guttas quindecim.

Non dissimili ratione ex Aloe, & Euphorbio Tincturas elicies, quarum usus duntaxat externus.

TINCTURA LACCÆ

BOERHAAVE.

℞. Laccæ e surculis detractæ, & pulverisatæ — Unciam semis:

Olei Tartari per deliquium —— Unciam unam.

Tere simul in mortariolo vitreo accuratissime, ut fiat mollis pulticula; quæ leni calore siccata in aere humidiori sponte liquescat: siccetur iterum, & iterum humectetur. Ultimo exsiccatæ affunde in vase circulatorio

Spiritus Vini rectificati ——— quantum sufficit,

ad supereminentiam trium digitorum: bulliant leniter per horas duas, & Tinctura filtrata ad usum servetur.

Ad curanda vitia gingivarum, oris, ac dentium in scorbuto, externa ablutione utilis. Interne etiam exhibetur cum successu in eodem morbo.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Drachmam dimidiam.

TIN-

TINCTURA LACCÆ ALUMINOSA MYNSICHT.

℞. Lapidis Medicamentosi Crollii — Unciam unam:

Dissolve in
Aquæ Rosarum,
Salviæ, ——— ana Libra una & semis.

Solutioni filtratæ affunde
Laccæ optimæ pulverisatæ —— Unciam semis:
Aluminis usti ————— Drachmas duas.

Digere in arena, dum Tinctura fiat rubicundissima, quæ decantata ad usum servetur.

Externe tantum adhibetur ad scorbutica gingivarum ulcera.

TINCTURA LACCÆ PER SPIRITUM COCHLEARIÆ.

℞. Laccæ electæ ————— Unciam unam:
Olei Tartari per deliquium —— Uncias duas:
Spiritus Cochleariæ ————— Uncias sex.

Sit eadem operis ratio, ac pro Tinctura Laccæ Boerhaaviana.

Usu cum superioribus convenit.

TINCTURA MYRRHÆ.

℞. Myrrhæ pulverisatæ ———— Unciam semis:
Olei Tartari per deliquium —— Unciam unam.

Eodem apparatu, quem pro Tinctura Laccæ Boerhaaviana supra descripsimus, adhibita
Spiritus Vini rectificati —— quantitate sufficienti,
extrahatur Tinctura.

Fluorem album sistit, morbis a mucosa inertia productis efficaciter succurrit, externa ulcera oris ac palati detergit, & consolidat.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Drachmam dimidiam.

TINCTURA SUCCINI
BOERHAAVE.

℞. Succini pulverisati ———— Unciam semis:
Olei Tartari ———— Unciam unam:
Spiritus Vini ———— quantum sufficit.

Procedant omnia eodem ordine, ut in Tinctura Laccæ, ab eodem Boerhaavio descripta; sed humectationes & exsiccationes pluries repetendæ.

Hypochondriacis, hystericis, leucophlegmaticis, & a causa frigida convulsis prodest.

DOSIS a Guttis decem ad Guttas triginta.

TINCTURA SALIS TARTARI HELMONTII.

℞. Salis Tartari alkalini ——————— Uncias tres.

Liquefcant igne violentiffimo per horas fex in crucibulo: fervidum adhuc tere in mortario calido, & in pulverem redige: immitte in phialam vitream ficcam & calidam; quo facto, ftatim affunde

Spiritus Vini perfecte dephlegmati & calentis
— quantum fufficit

ad fupereminentiam quatuor digitorum. Obturatam phialam concute, ut Sal totus perfecte mergatur. Digere in arena per horas XXIV. femper cavendo ne humiditas aeris ulla ratione ingredi poffit. Habebis Tincturam rubentem, quam filtratam ufui fervabis.

Laudatur in morbis a contumaciffima tartarea materia oriundis.

DOSIS a Guttis fex ad Guttas quadraginta.

TINCTURA CORALLIORUM QUERCETANI.

℞. Coralliorum rubrorum craffe pulverifatorum
— Uncias duas:

Aceti diftillati ——————— quantum fufficit,

ut in phiala vitrea ad quatuor digitos Coralliis fuper-

pernatet. Digere per triduum in Balneo Maris: Acetum dulcificabitur: ſic habebis Tincturam, ſeu potius diſſolutionem, quam filtratam uſui ſervabis.

Ad cohibendos alvi fluxus, & hæmorrhagias.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas duas.

Coralliorum ſolutio verius eſt quam Tinctura: an ex ipſis Tinctura proprie dicta extrahi poſſit, incertum. Sunt qui Coralliorum fruſtula liquefactæ & calenti Ceræ pluries immergant, dum colore ſpolientur; Tincturam deinde ex ipſa Cera eliciant ope Spiritus Vini. Verum hæc, & aliæ, quæ vulgo pro Tincturis Coralliorum venditantur, aliunde potius videntur & colorem & ſaporem mutuatæ, quam a Coralliis.

TINCTURA MARGARITARUM QUERCETANI.

℞. Margaritarum craſſe pulveriſatarum — Uncias duas:

Aceti diſtillati ———————— quantum ſufficit.

Eadem ratione paretur ac Tinctura Coralliorum.

Ad conficiendum Julapium Perlatum, quo tempore id remedii genus erat uſitatum, parari conſuevit.

TINCTURÆ COMPOSITÆ.

TINCTURA GEMMARUM QUERCETANI.

℞. Fragmentorum quinque pretiosorum,
Coralliorum rubrorum,
Margaritarum,
— ana Drachmas decem:

Calcinatis, ac in porphyrite subtiliter lævigatis affunde
Aceti distillati ——— Libram unam & semis.

Digere per aliquot dies in vase vitreo clauso, & Acetum modice dulcificatum habebis pro Tinctura.

Olim ex Majorum instituto est adhibita ad Julapii Gemmati compositionem.

TINCTURA SACRA LEMERY.

℞. Specierum Hieræ picræ ——— Unciam unam:

Coccinellæ ——————— Scrupulum unum:

Vini albi generosi —— Libram unam & semis.

Digere per triduum in phiala clausa, ut habeatur Tinctura, quæ filtrata ad usum servetur.

Obstructiones reserat, hæmorrhoidum ac mensium fluxum promovet, alvum quoque leniter solvit.

DOSIS a Drachmis duabus ad Unciam dimidiam.

ELI-

ELIXIR PROPRIETATIS
PARACELSI.

℞. Aloes Soccotrinæ,
Myrrhæ,
Croci, ———————————— ana Unciam unam.

Pulverisatis, & cum sufficienti quantitate Olei Tartari per deliquium in pulticulam redactis, post horas XXIV. affunde
Spiritus Vini rectificati ——— Uncias viginti.

Digere per dies quatuordecim in loco tepido; postea decantatum liquorem, sive Elixir, usui serva.

Cor & ventriculum roborat, coctionem promovet, menses ciet, hystericas affectiones reprimit.

DOSIS a Guttis decem ad Guttas triginta.

ELIXIR PROPRIETATIS PARACELSI
CUM ACIDO.

Eodem apparatu fiat ut supra descriptum; sed loco Olei Tartari irrorentur species modica portione Olei Sulphuris per campanam.

In stomachi vitiis, præsertim a putrefactione alimentorum.

DOSIS a Guttis quatuor ad Guttas duodecim.

Quandocumque Elixir Proprietatis simpliciter præscriptum fuerit, intelligendum dulce, idest sine acido.

ELI-

ELIXIR PROPRIETATIS
RHABARBARINUM.

℞. Aloes Soccotrinæ,
Myrrhæ, ——————— ana Uncias duas:
Croci ——————— Unciam ſemis:
Rhabarbari ——————— Uncias tres:
Salis Tartari alkalini ——— Unciam ſemis.

Contritis affunde
Vini Malvatici ——————— Libras tres.

Digere per dies quindecim in loco tepido, & filtratam Tincturam, ſive Elixir, uſui ſerva.

Stomachi vitiis medetur, bilioſos & acres humores blande ſubducit.

DOSIS a Drachmis duabus ad Unciam dimidiam.

LAUDANUM LIQUIDUM
SYDENHAM.

℞. Opii ——————— Uncias duas:
Croci ——————— Unciam unam:
Cinnamomi,
Caryophyllorum, ——— ana Drachmam unam.

Contritis, vel, ſi opus fuerit, pulveriſatis affunde
Vini Malvatici ——————— Libram unam,

Dige-

Digere in phiala vitrea calore Balnei Maris per triduum, & filtratum liquorem in vase optime clauso reconde.

Anodynum est præstantissimum, cujus frequens usus ad somnum conciliandum, dolores mulcendos, spasmodicos affectus mitigandos, ac diarrhœas sistendas.

DOSIS a Guttis quinque ad Guttas viginti.

TINCTURA BEZOARTICA
CLUTTONI.

℞. Spiritus Salis Marini rectificati,
Olei Vitrioli,
Sulphuris per campanam,
— ana Uncias duas;
Spiritus Vini rectificatissimi,
— Libram unam & semis.

Digere per mensem: distilla ad siccitatem: Spiritus distillati Libris duabus adde
Radicum Angelicæ,
Serpentariæ Virginianæ,
Cardamomi enucleati, —— ana Drachmas sex:

Extrahe Tincturam secundum artem.

In acutis febribus efficacissima habetur.

DOSIS: Guttæ x. vel xii. singulis Aquæ puræ Libris instillatæ, ad gratam aciditatem.

TIN-

TINCTURA UTERINA
JUNGKEN.

℞. Myrrhæ purioris ———————— Unciam semis:
Croci ———————————— Drachmas duas:
Castorei,
Camphoræ,
Salis Volatilis Cornu Cervi,
— ana Drachmam unam:
Olei distillati Sabinæ,
Succini, — ana Guttas quindecim.
Probe tritis affunde
Spiritus Vini optime rectificati —— Uncias sex.
Stent simul, donec Tinctura rite fuerit extracta.
Valet ad menses ciendos, & ad hystericas passiones.
DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

TINCTURÆ BALSAMICÆ.

BALSAMUM INNOCENTIANUM.

℞. Benzoini ——————————— Uncias tres:
Lacrymæ Styracis ———————— Uncias duas:
Balsami Tolutani ——————— Unciam unam:
Thu-

Thuris,
Myrrhæ,
Aloes Soccotrinæ,
Radicum Angelicæ, ——— ana Unciam semis:

Trituratis affunde
Tincturæ summitatum Hyperici per Spiritum Vini paratæ, & quantum fieri potest saturatissimæ — Libras duas.

Digere per dies viginti, & liquorem decantatum usui serva.

Vulnerarium eximium, mundificans, & consolidans.

BALSAMUM ADSTRINGENS
FULVII GHERLI.

℞. Benzoini ——————— Unciam semis:
Sanguinis Draconis in granis —— Drachmas duas:
Olei Terebinthinæ ———— Unciam unam.

Contusis contundendis, affunde
Spiritus Vini ———— Libram unam.

Digere in vase vitreo clauso supra cineres calidos, ad integram lacrymarum solutionem; deinde adde
Phlegmatis Vitrioli Romani ——— Uncias sex.

Rursus digere in vase clauso per horas XXIV. balnei calore: refrigerato liquori adde
Spiritus Vini ———— Uncias duas.

Iterum digere per octo vel decem horas in Balneo

 Maris

Maris, & liquorem ſive Balſamum ita paratum in uſum ſerva.

Ad vulnerum glutinationem.

SOLUTIONES PER DELIQUIUM.

LIQUOR MYRRHATUS
VULGO
OLEUM MYRRHÆ PER DELIQUIUM.

℞. Ova ad duritiem elixata ——— quot volueris:
Lacrymæ Myrrhæ purioris —— quantum ſufficit.

Secentur Ova per medium, ac vitellis exemptis, repleatur cavum cujuſque medietatis Myrrha ſubtiliter pulveriſata: medietates deinde invicem congruentes aptentur, ac filo circumligatæ crati ligneæ ſuperponantur in cella humida. Liquor exſtillabit Myrrhatus, ſubjecta patina excipiendus.

Ad faciei maculas, & herpetes tollendos adhibetur.

LIQUOR TARTARI FIXI
VULGO
OLEUM TARTARI PER DELIQUIUM.

℞. Tartari albi ——————— quantum placet.

Calcinetur igne reverberii, ut abeat in maſſam friabilem,

bilem, quæ humido in aere ſponte deliqueſcet, & magna ex parte in lixivium reſolvetur, liquorem videlicet ſive Oleum Tartari.

Uſus ejus frequens in variis operibus Chemicis.

LIQUOR SACCHARINUS
VULGO
OLEUM SACCHARI.

℞. Sacchari puriſſimi in conis —— quantum placet:

Spiritus Vini rectificati ———————— duplum.

Saccharum pulveriſatum imbuatur Spiritu Vini, poſtea incendatur maſſa. Flamma reſtincta liquorem habebis denſiuſculum inſtar Syrupi: erit vulgo dictum Oleum Sacchari.

Ad pectus catarrho oppletum leniendum ac levandum commendatur.



Solutiones ac Tincturæ Metallorum, cum eorum reliquis præparationibus, ad propriam Claſſem referuntur.

SECTIO II.

QUÆ EST

DE

EXTRACTIS.

EXTRACTA ALTERANTIA.

EXTRACTUM ABSINTHII.

℞. Abſinthii ad umbram leniter ſiccati, ac minute inciſi — quantum placet:

Aquæ communis ———————— quantum ſufficit.

Fiat maceratio per noctem in loco calido: bulliant ad conſumptionem medietatis: decoctum fortiter expreſſum ac depuratum ad juſtam Extracti conſiſtentiam lento igne denſetur.

Eadem ratione ex plantis ſuccum parciorem habentibus Extracta parari poterunt: E. G.

Extractum Agrimoniæ.
Extractum Centaurii minoris.

Ex-

Extractum Marrubii albi.
Extractum Sabinæ.
Extractum ſummitatum Hyperici.
Extractum florum Chamæmeli.
Extractum florum Papaveris Rhœados. &c.

SUCCUS CONCRETUS
NASTURTII AQUATICI.

℞. Succi depurati Naſturtii aquatici
— quantum placet.

Evaporet leni calore ad juſtam ſpiſſitudinem Extracti.

Hac methodo uti poteris ad Extracta conficienda ex herbis magis ſucculentis, quæ tamen ſic parata Succi concreti frequentius appellantur; ut ſunt E. G.

Succus concretus Beccabungæ.
Succus concretus Cochleariæ.
Succus concretus Fumariæ.
Succus concretus Cichorii.
Succus concretus Urticæ.
Succus concretus Roſarum. &c.

Extracta a Succis concretis uſus non diſtinguit; liberum eſto artifici, prout ipſi commodius videbitur, vel decoctum inſpiſſare, vel ſuccum expreſſum. Extra-

tracta utrolibet modo parata inter ſe prorſus conveniunt.

Extracta, & Succi concreti ſimplicium, ex quibus eliciuntur, vires retinent.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

EXTRACTUM GENTIANÆ.

℞. Radicum Gentianæ ———— quantum placet:
Aquæ communis ———— quantum ſufficit.

Radices minutim inciſas, ac per triduum maceratas decoque ad conſumptionem medietatis: ſeparato per inclinationem liquore, novam aquam affunde, ac iterum decoque: ita perge donec radices aquæ nihil amplius impertiant. Decocta omnia ſimul juncta, ac filtrata ad juſtam Extracti conſiſtentiam evaporent.

Eadem lege ex aliis radicibus, & lignis non admodum reſinoſis Extracta conficies: E. G.

Extractum Radicum Oſmundæ.
Extractum Radicum Scorzoneræ.
Extractum Radicum Tormentillæ.
Extractum Radicum Chinæ.
Extractum Sarſæ Parillæ.
Extractum Ligni Viſci Quercini. &c.

EXTRACTUM LIGNI GUAJACI.

℞. Ligni Guajaci minutim concisi — quantum placet:
Vini generosi ———————— quantum sufficit.

Fiat post sufficientem macerationem decoctio, si opus fuerit, pluries repetita. Decocta simul juncta, ac filtrata, densentur ad justam consistentiam Extracti.

Eodem ordine procedes ad conficienda Extracta ex aliis vegetabilibus, quæ resinosis partibus abundant.

EXTRACTUM CHINÆ-CHINÆ.

℞. Chinæ-Chinæ minute contritæ — quantum placet:
Vini generosi ———————— quantum sufficit.

Fiat post convenientem macerationem decoctio; ex decoctione Extractum.

Valet ad Febres intermittentes; non vero tantum viribus præstat, quantum ipse Cortex in substantia.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

EXTRACTUM BACCARUM JUNIPERI.

℞. Baccarum Juniperi maturarum —— Libras duas.
Contusis in mortario marmoreo affunde
Aquæ communis ———— Libras duodecim.
Dige-

Digere per triduum in loco calido: cola & fortiter exprime: expreſſus liquor evaporet ad juſtam Extracti conſiſtentiam.

Ex baccis Alkekengi, aliiſque fructibus ſimili modo Extracta conficies.

EXTRACTUM CROCI QUERCETANI.

℞. Croci minute inciſi ——— quantum placet:
Aquæ diſtillatæ Limonum —— quantum ſufficit.

Infuſione pluries repetita extrahatur ſecundum artem omnis tinctura: liquor filtratus inſpiſſetur in Balneo Maris ad mellis conſiſtentiam.

Spiritus languentes excitat, hyſtericis affectibus ſuccurrit.

DOSIS a Granis duobus ad Grana octo.

EXTRACTUM OPII QUERCETANI.

℞. Opii crudi ——————— quantum placet:

Minute inciſum, & patina exceptum expone igni leniſſimo, quoad colorem amittat: pulveriſato affunde
Aceti diſtillati —————— quantum ſufficit

ad quatuor digitorum ſupereminentiam: digere in loco calido, & tincturam extrahe ſecundum artem. To-

ties

ties opus repete, quoad Acetum ſubrubro colore non amplius tinctum appareat. Tincturæ omnes ſimul junctæ ad melleam conſiſtentiam evaporent.

Vim habet narcoticam cum Opio crudo communem.

DOSIS a Grano uno ad Grana duo.

LAUDANUM OPIATUM

SIVE NEPENTHES QUERCETANI.

℞. Extracti Opii ———————— Uncias duas:
Croci ———————— Unciam unam.

In patina vitreata ſimul confuſis inſperge
Fragmentorum Hyacinthi ſupra porphyritem lævigatorum,
Margaritarum ſimiliter præparatarum,
Magiſterii Coralliorum,
— ana Drachmam unam & ſemis:
Terræ Sigillatæ ———————— Drachmam unam:
Lapidis Bezoar ſubtiliter pulveriſati,
Raſuræ Unicornu, ———— ana Scrupulos duos.

Miſce ad ignem lentum, donec maſſa Extracti ſolidiuſculi conſiſtentiam acquirat.

Ad ſomnum conciliandum, dolores leniendos, ſanguinis eruptiones, ac ventris fluores cohibendos.

DOSIS a Grano uno ad Grana tria.

LAUDANUM OPIATUM LUDOVICI.

℞. Extracti Opii per Spiritum Vini extracti — Unciam semis:

Croci,
Cinnabaris nativæ præparatæ,
— ana Drachmas duas.

Misce, leni calore adhibito, & massa ad justam consistentiam redacta usui servetur.

Simplicius quam Laudanum Nepenthes, nec tamen eo minus efficax habetur.

DOSIS a Grano uno ad Grana tria.

LAUDANUM CYDONIATUM.

℞. Opii crudi ——————— quantum placet.

Dissolve in
Succi Cydoniorum ——— sufficienti quantitate.

Digere ad Solem per dies quindecim; filtratam tincturam ad justam Extracti consistentiam evapora.

Singulariter commendatur ad diarrhœam, ac dysenteriam sistendam.

DOSIS a Grano uno ad Grana tria.

LAU-

LAUDANUM URINARIUM
MICHAELIS.

℞. Succi Glycyrrhizæ Aqua Alkekengi diſſoluti — Unciam unam & ſemis:

Extracti fructuum Alkekengi,
Terebinthinæ Venetæ Aqua Petroſelini lotæ, — ana Unciam ſemis:

Laudani Nepenthes ——— Drachmas duas:

Camphoræ ——— Drachmam unam:

Maſtiches,
Tragacanthi, ——— ana Drachmam ſemis:

Croci ——— Scrupulos quatuor.

Pulveriſatis pulveriſandis, miſce omnia ſimul, ac lento igne redige ad juſtam maſſæ quaſi pilularis conſiſtentiam.

Urinam ciet, arenulas expellit, dolorem ſedat, dyſuria, & ſtranguria cruciatis ſolatium præbet.

DOSIS a Granis x. ad Grana xxx.

ELIXIR UTERINUM
CROLLII.

℞. Caſtorei ——— Uncias tres:

Croci Orientalis ——— Unciam unam.

Extrahe tincturam utriusque seorsim ex lege artis per Spiritum Vini: abstrahe Spiritum ope distillationis ad remanentiam Extractorum, & adde

Extracti Artemisiæ ——————— Uncias duas:

Salis Matris Perlarum ————— Unciam semis:

Olei distillati Anisorum,
Angelicæ,
Succini rectificati,
— ana Drachmam unam.

Mista omnia digere per dies octo leni calore, & sic paratum Elixir usui serva.

Ad ciendos menses, & suffocationes Uteri reprimendas.

DOSIS a Scrupulo uno ad Scrupulos duos.

EXTRACTA PURGANTIA.

EXTRACTUM RHABARBARI.

℞. Rhabarbari ——————— quantum placet:

Aquæ Cichorii ——————— quantum sufficit.

Fiat infusio Rhabarbari modice triti cum levi ebullitione, eaque pluries repetatur, donec omnis tinctura educta fuerit: Infusa omnia simul juncta, ac filtrata blando igne evaporent ad justam Extracti consistentiam.

Purgat simul ac roborat, viscerumque obstructionibus medetur.

DOSIS a Granis x. ad Grana xxx.

EX-

EXTRACTUM POLYPODII.

℞. Radicum Polypodii minutim incisarum
— quantum placet:
Hydromelitis vinosi ——— quantum sufficit.

Fiat infusio multiplex, & evaporatio omnium infusorum ad justam consistentiam.

Melancholicos humores blande per alvum educit.

DOSIS a Drachma una ad Drachmam unam cum dimidia.

EXTRACTUM HELLEBORI.

℞. Fibrarum Hellebori nigri —— quantum placet:
Vini generosi ——— quantum sufficit.

Infusione pluries repetita, ac subsequenti evaporatione, fiat Extractum.

Atram bilem dejicit, & adversus melancholicos affectus præscribitur.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Scrupulum unum.

EXTRACTUM COLOCYNTHIDIS.

℞. Pulpæ Colocynthidis ——— quantum placet:
Vini dulcis ——— quantum sufficit.

Colo-

Colocynthidem Aceto modice irroratam macera in Vino per dies octo: cola cum forti expressione, & expressum liquorem ad justam Extracti consistentiam inspissa.

In morbis contumacioribus, ad humores eradicatu difficiles eliminandos.

DOSIS a Granis tribus ad Grana decem.

EXTRACTUM CUCUMERIS SILVESTRIS
SIVE
ELATERIUM.

℞. Fructuum maturorum Cucumeris silvestris — quantum placet.

Tunde in mortario marmoreo, & affunde
Aquæ ferventis ——— quantitatem sufficientem.

Macera per triduum, coque, & exprime: filtratum liquorem ad Extracti consistentiam evapora.

Purgat vehementer, & aquas hydropicorum educit.

DOSIS a Granis tribus ad Grana decem.

SUCCUS CONCRETUS
GRANORUM SAMBUCI.

℞. Succi defæcati Granorum Sambuci – quantum placet.

Densetur lento igne ad justam consistentiam.

Hydro-

Hydropicis & hystericis subvenit.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam dimidiam.

EXTRACTUM ALOES

QUERCETANI.

℞. Aloes Soccotrinæ ———— quantum placet:

Pulverisatam immitte in cucurbitam vitream, & affunde

Aquæ Endiviæ ———— quantum satis

ad quatuor digitorum supereminentiam. Digere per triduum in Balneo Maris, cucurbita rite obturata. Solvetur Aloe, & liquor rubicundo colore tingetur; quo decantato, novam Aquam, sed minori quantitate, affunde: digere ut prius, idque toties repete, quoad non amplius aqua tingatur. Tincturas omnes simul confusas ad melleam consistentiam leni igne evapora.

Viscera detergit, ac stomachum roborat.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Scrupulum unum.

EXTRACTUM CATHOLICUM

DISPENSATORII VIENNENSIS.

℞. Pulpæ Colocynthidis ———— Uncias tres:

Fibrarum Hellebori nigri,
Agarici,
Scammonii, ———— ana Uncias duas:

Aloes

Aloes Soccotrinæ ———————— Uncias quatuor.

Conciſis & contuſis affunde
Spiritus Vini ———————— quantum ſufficit

ad ſupereminentiam quatuor digitorum: digere per dies aliquot in loco calido: tincturam per inclinationem effunde, ac reſiduum fortiter exprime. A liquore filtrato Spiritum abſtrahe per diſtillationem, & quod remanet inſpiſſa ad juſtam Extracti conſiſtentiam.

Ad humores cujuſque generis in corpore peccantes expellendos.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Scrupulum unum.

EXTRACTUM PANCHYMAGOGUM.

℞. Rhabarbari,
Sennæ Orientalis, ——— ana Unciam unam:

Pulpæ Colocynthidis,
Fibrarum Hellebori nigri,
Turpethi,
Scammonii, ——— ana Drachmas quinque:

Hermodactylorum,
Agarici,
Aloes Soccotrinæ,
Specierum Diarrhodôn, —— ana Drachmas duas.


Mediocriter contuſis contundendis, affunde
Aquæ Cinnamomi ex Vino paratæ
— quantum ſufficit

ad

ad quatuor digitorum ſupereminentiam: digere per triduum in arena: tincturam cola & fortiter exprime: reſiduo novam aquam affunde, & rurſus tincturam extrahe; quæ cum priori commiſta, & per ſubſidentiam depurata evaporetur ad Extracti denſioris, vel Maſſæ Pilularis conſiſtentiam.

Humores diverſi generis ſine moleſtia purgat.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam dimidiam.



Extracta Martialia inter ceteras Metallorum præparationes commodius recenſentur.

SECTIO III.

QUÆ EST

DE

AQUIS DISTILLATIS.

AQUÆ DISTILLATÆ SIMPLICES.

AQUA VIOLARUM.

℞. Violarum recentium ——— Libram unam:
Aquæ communis ——— Libras decem.

Immitte in veſicam æream, ſive ahenum diſtillatorium capax, ita ut quarta pars vacua remaneat. Macera per diem: ſuperpoſito capitello ignem ſubde, & per gradus auge, uſque dum aqua ebulliat: eodem tempore per tubum capitelli roſtro applicatum exſtillabit liquor, primo guttatim, deinde quaſi per rivulum. Gradum iſtum caloris æqualiter ſuſtine, capitello, ubi opus fuerit, refrigerato. Tandem, cum libras ſex circiter Aquæ receperis, ab opere deſiſtes: collectam uſui ſervabis.

Ea-

Eadem ratione ex aliis floribus Aquæ ſtillatitiæ parentur: E. G.

Aqua Florum Myrti.
Aqua Florum Tiliæ.
Aqua Florum Spinæ albæ.
Aqua Florum Sambuci.
Aqua Florum Fabæ.
Aqua Florum Papaveris Rhœados.
Aqua Florum Nymphææ.
Aqua Florum Chamæmeli. &c.

Aquarum diſtillatarum vim & uſus ex floribus ipſis ac herbis, ex quibus eliciuntur, haud obſcure conjicies.

AQUA ROSARUM.

℞. Roſarum communium ——— Libram unam;
Aquæ fontis ——— Libras decem.

Macera per biduum & ultra, dum Roſæ odorem fere vinoſum acquirant. Inſtituatur poſtea diſtillatio ad dimidias ſecundum artem.

Hac methodo ex floribus odoratis diſtillentur Aquæ fragrantiam retinentes: E. G.

Aqua Roſarum albarum.
Aqua Florum Citrei.
Aqua Florum Aurantiorum. &c.

AQUA MELISSÆ SIMPLEX.

℞. Meliſſæ recentis odoratæ —— Manipulos viginti:

Aquæ communis ———— Libras quadraginta.

Inſtituatur diſtillatio, ut artis eſt, eaque tamdiu continuetur, dum Aquæ duas tertias circiter partes receperis.

Ita ex aliis herbis Aquas ſtillatitias parabis. Tales ſunt E. G.

Aqua Cichorii.
Aqua Artemiſiæ.
Aqua Anonidis.
Aqua Fœniculi.
Aqua Fumariæ.
Aqua Lactucæ.
Aqua Malvæ.
Aqua Hordei viridis.
Aqua Euphraſiæ.
Aqua Lavandulæ.
Aqua Menthæ.
Aqua Salviæ. &c.

Aquæ iſtæ vulgares ſtillatitiæ, cum ad alia medicamenta diſſolvenda apud nos plerumque adhiberi ſoleant, plus fere juſto dilutæ parantur. Si quis eas activiores ac meraciores requirat, ſingulis herbarum aut florum Libris tres vel quatuor tantum Aquæ Libras affundat, unicam vero ſtillatitii liquoris Libram eliciat.

AQUA

AQUA MELISSÆ PER COHOBATIONEM.

℞. Meliſſæ recentis odoratiſſimæ — quantum placet:
Aquæ communis ———————— triplum.

Diſtilla ad dimidias: aquæ ſic diſtillatæ tantundem Meliſſæ recentis immitte, ea quantitate addita aquæ communis, quæ ſufficiat ad ſervandam proportionem herbæ ad liquorem. Iteretur diſtillatio, & omnia ſupra deſcripta repetantur quoties libuerit. Si ad duodecimam diſtillationem perveneris, Aquam fragrantiſſimam habebis ac præſtantiſſimam.

Hac repetita affuſione, quæ cohobatio dicitur, ex aliis herbis extrahi poſſunt Aquæ diſtillatæ; ſed in iis, quæ inodoræ ſunt & inſipidæ, diſpendium inane eſt.

AQUA CARDUI BENEDICTI
PER FERMENTATIONEM
METHODO LUDOVICIANA.

℞. Cardui Benedicti recentis ——— quantum placet.
Minutim inciſo affunde
Aquæ Mulſæ ſive Hydromelitis valde aquoſi
— quantum ſufficit

ad ſupereminentiam unius digiti. Fermenteſcant in loco calido, donec herba fundum liquoris petere incipiat. Immitte ſtatim in ahenum, ac diſtilla ſecun-

eundum artem, ſed igne moderatiſſimo, ne materia facile tumeſcens orificium aheni tranſcendat. Liquor exſtillabit ſapidus & odoratus; ubi vero inodorus ac inſipidus prodire incipiet, a diſtillatione ceſſabis.

Ex aliis quoque plantis, potiſſimum odoratis, non diſſimili artificio Aquæ ſtillatitiæ elici poſſunt longe activiores, exaltatæ videlicet per fermentationem; unde tamen ſincera earum fragrantia nonnihil mutatur.

AQUA DE SUCCO ACETOSÆ.

℞. Succi Acetoſæ depurati ac filtrati
— quantum placet.

Immitte in cucurbitam vitream, capitello ſuperimpoſito: diſtilla ex arte in Balneo Maris fere ad ſiccitatem. Quod in fundo cucurbitæ remanet eſt Succus concretus Acetoſæ.

Eadem methodo alios plantarum Succos diſtillare poteris; qui tamen ab Aquis eorundem ſtillatitiis paullo meracioribus haud multum differunt.

Aquæ ſtillatitiæ ex plantis odoratis, & quæ volatilibus partibus abundant, præſertim cohobatione extractæ, de facultatibus earum plurimum retinent; ex inodoris vero & inſipidis plerumque inefficaces habentur, ac diluendis tantum diſſolvendiſque aliis medicamentis deſtinari ſolent.

AQUA

AQUA RADICUM SCORZONERÆ.

℞. Radicum Scorzoneræ recentium minute incisarum — Libras octo:

Aquæ communis ——————— Libras quadraginta.

Post sufficientem macerationem ex aheno distilla, ut Aquas herbarum antea descriptas.

Ad eundem modum ex aliis radicibus Aquæ stillatitiæ elici poterunt: E. G.

Aqua Graminis.
Aqua Radicum Pæoniæ.
Aqua Radicum Rusci.
Aqua Radicum Asparagi. &c.

AQUA CERASORUM NIGRORUM.

℞. Cerasorum nigrorum maturorum — quantum placet.

Contusis una cum propriis ossiculis, & modice fermentatis affunde Aquæ fontis duplum. Distilla ad medietatem.

Ita etiam ex aliis vinosis fructibus Aquæ distillatæ parari possunt: E. G.

Aqua Fragorum.
Aqua Fructuum Rubi Idæi.
Aqua Fructuum Alkekengi.
Aqua Omphacii. &c.

AQUA DE TOTO CITREO.

℞. Malorum Citreorum ———— quantum placet.

Incide in fruſta minutiſſima, & affuſa Aquæ puræ, vel decocti Citreorum modica portione, ex alembico ſive cucurbita vitrea diſtilla in Balneo Maris ex lege artis.

AQUA NUCUM VIRIDIUM
Lemery.

℞. Julorum ſeu Florum Nucis arboris
— Libras decem.

Tere, & infunde in decocto ex aliis Nucis floribus antea parato ad ſupereminentiam aliquot digitorum, poſtea diſtilla: in Aquam diſtillatam immitte
Nucum immaturarum contuſarum
— Libras quinque.

Macera per horas XXIV. ac iterum diſtilla: Aquæ diſtillatæ affunde
Nucum maturitati proximarum contuſarum
— Libras ſex.

Macera ut ſupra, & fiat tertia diſtillatio.

Diaphoreſim promovet, ac in hyſtericis affectionibus præcipuam commendationem habet.

AQUA SPERMATIS RANARUM.

℞. Spermatis Ranarum ———— quantum placet.

Initio Veris de more collectum, quassatum, ac dissolutum lento igne distilla in cucurbita vitrea fere ad siccitatem.

Refrigerat, emollit, & recensetur etiam inter cosmetica.

SERUM DISTILLATUM
CUM CICHOREACEIS.

℞. Foliorum Cichorii,
Taraxaci,
Endiviæ,
Sonchi asperi,
— ana Manipulum unum,

Seri Vaccini Libras duodecim.

Macera per diem, & ex aheno distilla secundum artem.

Ad refrigerandum, & humorum acrimoniam temperandam.

Nasturtii aquatici, & Beccabungæ folia, loco Cichoreaceorum adhibita, dabunt SERUM DISTILLATUM CUM ANTISCORBUTICIS.

AQUA CINNAMOMI LACTEA.

℞. Cinnamomi optimi crassiuscule triti — Libram unam:

Aquæ puræ ———————— Libras quatuor.

Facta maceratione per horas XXIV. distilla ex alembico vitreo in Balneo Maris. Aqua prodibit lactescens fragrantissima, quæ ubi limpida ac fere inodora exstillare cœperit, ab operatione cessabis.

Cor & spiritus reficit, stomacho male habenti succurrit.

DOSIS a Drachmis duabus ad Unciam dimidiam.

AQUA CINNAMOMI SPIRITUOSA.

℞. Cinnamomi ———————— Libram semis:

Vini Malvatici,
Aquæ Rosarum ———————— ana Libras tres.

Fiat maceratio per horas XXIV, deinde instituatur distillatio ex alembico vitreo in Balneo Maris, quæ tamdiu continuabitur, quamdiu prodibit liquor imbutus acrimonia & fragrantia Cinnamomi.

Viribus ad proxime descriptam accedit, fervidior tamen, & Spiritus Vini particeps.

DOSIS a Drachmis duabus ad Unciam dimidiam.

AQUÆ DISTILLATÆ COMPOSITÆ.

AQUA MELISSÆ MAGISTRALIS
VULGO
ACQUA DE' CARMINI.

℞. Foliorum Meliſſæ virentium —— Uncias quatuor:
Flavedinis Citrei recentis ———— Uncias duas:
Nucis Moſchatæ,
Coriandrorum, ———— ana Unciam unam:
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Radicum Angelicæ, ——— ana Unciam ſemis.

Contuſis contundendis, affunde
Spiritus Vini rectificati ———— Libras duas:
Aquæ Meliſſæ in Balneo Maris pluries cohobatæ & fragrantiſſimæ — Libram unam.

Digere per triduum, ac diſtilla ex cucurbita vitrea in Balneo Maris fere ad ſiccitatem.

Cerebrum roborat, cor & ventriculum recreat: uſus ejus præcipuus in lipothymia & ſyncope: adverſus etiam paralyſim, lethargum, apoplexiam, & hyſtericas affectiones præſidio eſt.

DOSIS ad Cochlear unum vel alterum Saccharo, ut moris eſt, dulcificatæ.

AQUA CORDIALIS TEMPERATA SAXONIÆ.

℞. Herbarum recentium Borraginis,
Buglossæ,
Rutæ caprariæ,
Myrrhidis,
Verbenæ,
Pimpinellæ,
Cyani majoris,
minoris,
— ana Manip. unum:
Aquæ fontis ——————————— Libras duodecim.

Distilla ex arte moderato calore ad medietatis extractionem: quo facto sume
Aquæ sic distillatæ,
Melissæ fragrantis, — ana Libras quinque:
Rosarum ——————— Libram unam:
Vini Malvatici ——————— Libras duas.
Mistis infunde
Summitatum Dictamni Cretici,
Scordii,
Rorismarini,
Florum Rosarum rubrarum,
Violarum,
Nymphææ ——— ana Unciam unam.
Flavedinis Citrei,
Santali Citrini, ——————— ana Unciam semis:
Cinnamomi ——————————— Uncias tres:
Ligni Aloes ——————————— Drachmas duas:
Ca-

Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ,
Macis, ——— ana Drachmam unam & ſemis.

Digere in vaſe vitreo clauſo per triduum, & in Balneo Maris diſtilla, uſque eo pergens, dum ex quatuor tres circiter liquidi partes receperis.

Ad defectiones animi valet, ac terrores repentinos.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Uncias duas.

Ex duabus Aquis Cordialibus Herculis Saxoniæ, Calida nimirum & Frigida, nonnullis detractis, aut leviter mutatis, ſic eſt attemperata, ut Saxoniam ipſum non immerito auctorem ſibi vindicet. Nec multum ab ea differt Aqua Cordialis Brandemburgica in ſuperiori Antidotario deſcripta, cujus loco indiſtincte ac promiſcue uſurpari poteſt.

AQUA CORDIALIS FRIGIDA SAXONIÆ.

℞. Succorum depuratorum Borraginis,
Buglоſſæ,
Meliſſæ,
Acetoſæ,
Lapathi acuti,
Trifolii acetoſi,
Biſtortæ,
Cyani majoris,
minoris,
Rutæ caprariæ,
Calendulæ,
— ana Libram unam:

Suc-

Succorum Citrei,
Limonis,
Aceti albi, ——————— ana Libram semis:
Seminum Citrei, ——————— Unciam semis:
Portulacæ, ——————— Drachmas duas:
Florum Nymphææ albæ,
Violarum,
Rosarum rubrarum,
Specierum Dia-trion-santalon, — ana Unciam unam:
Terræ Lemniæ;
Samiæ,
Boli armenæ, ——————— ana Drachmas duas.

Macera per horas XXIV. ac distilla ex alembico vitreo Balnei calore secundum artem.

Usus in febribus pestilentibus ardentissimis ad æstuosam humorum fermentationem refrenandam.

DOSIS ab Uncia una ad Uncias tres.

Hæc tantummodo exhibenda, cum *Aquæ Cordialis Frigidæ* titulo in formulis medicis expresse fuerit imperata.

AQUA THERIACALIS

℞. Succi depurati Scordii,
Rutæ Caprariæ,
Acetosæ,
— ana Libram unam & semis:
Citrei, ——— ana Libram semis:
Theriacæ Andromachi ——— Uncias quatuor.

Dif-

Diſſoluta in ſuccis Theriaca, inſtituatur diſtillatio ex alembico vitreo in Balneo Maris ſecundum artem.

Hyſtericis, apoplecticis, epilepticis prodeſt: ad vomitum etiam, ac ventriculi imbecillitatem utiliter adhibetur.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Unciam unam.

AQUA HYSTERICA

QUERCETANI.

℞. Nucis Moſchatæ,
Cinnamomi,
Ligni Aloes,
Macis, ——————— ana Unciam unam:

Florum Roriſmarini,
Salviæ, ———— ana Pugillos duos:

Caſtorei ——————— Drachmas ſex:

Fæculæ Bryoniæ ——————— Unciam ſemis.

Modice contuſis affunde
Succi depurati Matricariæ,
Mercurialis,
Vini albi generoſi, — ana Libram unam & ſemis.

Digere per tres vel quatuor dies, & ex alembico vitreo in Balneo Maris diſtilla ex lege artis.

Uterum ab impuritatibus detergit, muliebri fluori confert, hyſterica ſtrangulatione vexatis præſidio eſt.

DOSIS a Drachmis duabus ad Unciam dimidiam.

AQUA APOPLECTICA
QUERCETANI.

℞. Ligni Visci Quercini,
Radicum Dictamni albi,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Nucis Moschatæ,
Cubebarum,
Macis,
Zingiberis, ——————— ana Unciam unam:

Summitatum Dictamni Cretici,
Baccarum Juniperi,
Seminum Pæoniæ, — ana Unciam unam & semis:

Comarum Stœchados,
Florum Rorismarini,
Salviæ,
Betonicæ,
Calendulæ,
Hyssopi, ——— ana Pugillum unum:

Camphoræ ——————— Drachmas tres.

Incisis & modice contusis affunde
Aquæ Florum Tiliæ,
Liliorum Convallium,
Cerasorum nigrorum,
Salviæ, ————— ana Libram unam:

Vini Malvatici ——————— Libras quatuor.

Digere per triduum, ac distilla per alembicum vitreum in Balneo Maris fere ad siccitatem.

Ad

Ad apoplexiam a ſeroſa & frigida cauſa productam.
DOSIS ad Cochlear unum.

AQUA EPILEPTICA
Codicis Parisiensis.

℞. Radicum Valerianæ,
Pæoniæ, ——— ana Uncias duas:
Caryophyllatæ ——— Unciam unam:
Angelicæ Bohemicæ,
Dictamni albi, — ana Unciam ſemis:
Summitatum Dictamni Cretici,
— ana Unciam unam & ſemis:
Florum Tiliæ,
Liliorum Convallium, - ana Uncias tres:
Roriſmarini,
Lavandulæ, ——— ana Unciam unam:
Comarum Stœchados ——— Unciam ſemis:
Caryophyllorum,
Macis, ——— ana Drachmas duas:
Caſtorei ——— Drachmam unam & ſemis.

Inciſis ac decenter contuſis affunde
Vini albi generoſi ——— Libras octo.

Macera per ſex dies, vas identidem agitando; poſtea ſuperadde
Aquæ Ceraſorum nigrorum ——— Libras duas.

Distilla ex alembico vitreo in Balneo Maris ad siccitatem.

In epilepticis insultibus, ubi excitatione ac stimulo est opus.

DOSIS ad Cochlear unum.

AQUA AD GONORRHOEAM
QUERCETANI.

℞. Foliorum exsiccatorum Menthæ,
Dictamni Cretici,
Radicum Ireos Florentinæ, — ana Unciam unam:
Seminum Agni casti,
Rutæ,
Lactucæ, ——— ana Drachmas sex.
Modice contusis affunde
Vini albi ————————— Uncias viginti:
Terebinthinæ Venetæ ——— Uncias quatuor.

Digere per triduum in cucurbita vitrea: postea distilla secundum artem fere ad siccitatem.

Ad gonorrhœam fœtidam & virulentam, atque etiam inveteratam præstantissima censetur.

DOSIS ad duo Cochlearia per aliquot dies.

AQUA

AQUA VULNERARIA
CODICIS PARISIENSIS.

℞. Radicum Consolidæ majoris,
Foliorum Consolidæ majoris,
mediæ,
minoris,
Bellidis majoris,
minoris,
Saniculæ,
Betonicæ,
Scrophulariæ,
Plantaginis,
Agrimoniæ,
Hyperici cum summitatibus,
Vincæ Pervincæ,
Hederæ terrestris,
Artemisiæ,
Veronicæ,
Verbenæ,
Fabæ crassæ,
Millefolii,
Rorismarini,
Chamæmeli,
Scordii,
Majoranæ,
Rutæ, ——— ana Uncias quatuor:

Salviæ,
Angelicæ,
Tanaceti,
Absinthii Romani,
Pontici,

Foliorum Chelidoniæ majoris,
Fœniculi,
Nicotianæ,
Ariſtolochiæ longæ,
Menthæ,
Hyſſopi, ——— ana Uncias octo:

Comarum Lavandulæ,
Origani,
Calaminthæ montanæ,
— ana Uncias ſex.

Conciſa macerentur per dies octo in loco calente cum
Vini generoſi ————— Libris ſexaginta.

Inſtituatur ex arte diſtillatio in Balneo Maris ad dimidias.

Externe adhibetur ad ſclopetorum vulnera, unde Gallicum nomen l' Eau d' Arquebuſade.

Si loco Vini generoſi adhibeatur Spiritus Vini, erit Aqua Vulneraria Spirituoſa.

AQUA PRO FISTULIS.

℞. Radicum Hellebori albi,
nigri,
Gentianæ,
Ariſtolochiæ longæ,
rotundæ,
Panacis, ——— ana Unciam ſemis:

Sum-

Summitatum Hyperici,
Consolidæ minoris,
Rosarum rubrarum, —— ana Manipulum unum:

Balaustiorum,
Fructuum Sumach,
Gallarum immaturarum,
Malicorii,
Summitatum Rorismarini, — ana Drachmas duas:

Incisis omnibus vel contusis affunde
Succi expressi Chelidoniæ,
Petroselini, — ana Unciam unam:

Spiritus Vini ——————————— Libras tres.

Macera per quatuor dies in vase optime clauso; postea distilla secundum artem lento igne in Balneo Arenæ: liquori distillato infunde

Lithargyrii,
Cerussæ,
Aluminis crudi,
usti,
Boracis nativæ,
— ana Drachmam unam & semis.

Tutiæ præparatæ,
Viridis Æris, —————— ana Drachmas duas.

Maneant per diem: deinde filtretur Aqua, & servetur ad usum.

Usurpatur externe felici successu in fistulis, ac reliquis ulceribus callosis.

AQUA OPHTHALMICA DE CANCRIS MYNSICHT.

℞. Cancros, vel eorum loco Gammaros fluviatiles — Numero triginta:

Herbæ Chelidoniæ recentis — ad æquale pondus.

Contuſis adde, quæ ſequuntur, mediocriter trita vel pulveriſata:
Seminum Fœniculi ———— Unciam unam:

Umbilicorum marinorum,
Camphoræ, ———— ana Unciam ſemis:

Caryophyllorum,
Aloes Hepaticæ,
Tutiæ, ———— ana Drachmas duas.

Miſce omnia ſimul, & affunde
Aquæ Euphraſiæ ———— modicum

pro ſufficienti humectatione: digere per triduum, ac diſtilla ex alembico vitreo in Balneo Maris ſecundum artem.

Ad oculorum læſiones ac vulnera mirificis laudibus extollitur.

Si quis, omiſſis pulveribus, ex Cancris cum herba diſtillatis liquorem eliciat, habebit Aquam Ophthalmicam de Cancris ſimplicem Hartmanni.

AQUA

AQUA OPHTHALMICA
TIMÆI.

℞. Foliorum Chelidoniæ majoris,
Fœniculi,
Betonicæ,
Majoranæ,
Rorismarini,
Euphrasiæ,
Fumariæ,
Rutæ,
Melissæ,
Pimpinellæ,
Salviæ, ——— ana Manipulum unum:

Incisis, & modice contusis affunde
Roris Majalis ——————— Libras sex:
Vini Malvatici ————— Libras quatuor.

Facta sufficienti fermentatione, distilla ex alembico vitreo in Balneo Maris secundum artem.

Vim habet discutiendi, eoque oculis male affectis prodest.



S E-

SECTIO IV.

QUÆ EST

DE

SPIRITIBUS.

SPIRITUS ARDENTES.

SPIRITUS VINI COMMUNIS
SIVE
AQUA ARDENS.

℞. Vini generosi ———————— quantum placet.

Immitte in ahenum diſtillatorium, vel in cucurbitam vitream, cujus quarta pars remaneat vacua: appoſito capitello, & obſeratis commiſſuris, blando igne diſtilla: prodibit liquor tenuis, limpidus, inflammabilis, Spiritus Vini ſive Aqua Vitæ & Aqua Ardens vulgo dictus. Diſtillationem uſque eo perduces, dum liquor qui emergit flammam non amplius concipiat.

SPIRITUS VINI RECTIFICATUS.

℞. Spiritus Vini communis ——— quantum placet.

Ex cucurbitâ vitrea ad duas tertias repleta lento igne diſtilla: prodibit initio Spiritus limpidus, purus, quem ſeorſum colliges; quando aquoſus & acidulus exſtillare cœperit, a diſtillatione ceſſabis.

Separatio hæc meracioris Spiritus ab aquoſo latice per iteratam diſtillationem facta rectificatio dicitur, quam ſi pluries repetes, eo ſemper puriorem & efficaciorem obtinebis Spiritum.

Eadem methodo utere, quoties portionem Spiritus Vini a Tincturis abſtrahere opus fuerit: inſtituta enim per alembicum diſtillatione, Spiritum tenuem ac limpidum recipies: Tinctura eo magna ex parte orbata remanebit in cucurbita.

SPIRITUS VINI DEPHLEGMATUS

SIVE

ALCOHOL VINI.

℞. Spiritus Vini rectificati ——— quantum placet.

Diſtilletur igne blandiſſimo in Balneo Maris ex cucurbita vitrea, ſuperpoſito capitello non roſtrato, ſed longiſſima fiſtula ad apicem inſtructo; quæ fiſtula ſupra altitudinem multorum pedum deorſum reflectatur. Spiritus fere puriſſimus, & phlegmate carens, ſuperata fiſtulæ altitudine, per alterum illius crus deorſum vergens in excipulum ſtillabit.

SPIRITUS VINI TARTARISATUS

SIVE

ALCOHOL VINI PER SALEM TARTARI.

℞. Spiritus Vini rectificati ——— Libram unam:

Salis Tartari Alkalini ſicciſſimi ab igne — Libram ſemis.

Digere in arena per horas XII. Spiritum diſſoluto Sali Tartari ſupernatantem per inclinationem effunde: novam rurſus portionem ejuſdem Salis immitte, & ita perge, dum nihil amplius Salis ab humido ſolvatur: erit hac etiam ratione Spiritus Vini ab omni phlegmate liber, non æque tamen purus, ac ille qui eſt proximo ſub titulo deſcriptus.

Spiritus Vini communis, rectificati, & Alcohol uſus frequens ac varius in pharmaceuticis, & chemicis operibus.

SPIRITUS CERASORUM NIGRORUM.

℞. Ceraſorum nigrorum cum nucleis — Libras viginti.

Contuſis affunde

Aquæ fontis ——————— Libras octo.

Macera in loco tepido, donec fermentando vinoſum odorem acquirant. Diſtilla ex aheno, ut prodeat Spiritus ardens, quemadmodum ex Vino: hunc, rectificatione pluries repetita, a phlegmate ſeparabis.

In

In epilepsia habetur pro specifico.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

Ex aliis quoque fructibus simili ratione fermentatis, ex leguminibus etiam, seminibus frumentaceis, Melle, Saccharo, plurimisque vegetantium succis, modo præcesserit debita fermentatio, Spiritus ardentes elici possunt.

SPIRITUS ARDENS MELISSÆ.

℞. Melissæ recentis odoratissimæ — quantum placet.

Macera per dies plures in sufficienti quantitate Aquæ modice salitæ, quoad fermentescat, odoremque emittat pæne vinosum. Distilla ex aheno, ut artis est, ac liquorem spirituosum primo erumpentem seorsum collige: novam Melissam eadem ratione pluries distilla, donec liquoris spirituosi sufficientem quantitatem obtineas: hunc sæpius ex lege artis rectifica, & habebis, si recte omnia processerint, e sola Melissa Spiritum ardentem.

Virtute cardiaca & cephalica excellit.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

Ex multis herbis eadem ratione Spiritus ardens educitur; sunt vero etiam non paucæ, ex quibus nulla ratione elici possit: quod monere operæ pretium duximus, ne quis forte operationes laboris ac molestiæ plenas sine fructu suscipiat.

SPIRITUS FLORUM RORISMARINI
SIVE
AQUA REGINÆ HUNGARIÆ.

℞. Florum Rorismarini ——— quantum placet:
Spiritus Vini rectificati ——— quantum sufficit
ad supereminentiam quatuor digitorum. Macera per biduum, distilla ex cucurbita vitrea in Balneo Maris, & usui serva.

Ex aliis floribus herbisque odoratis eadem ratione extrahi possunt Spiritus jucunde fragrantes; qui tamen nihil aliud re vera sunt, nisi ipsissimus Vini Spiritus, subtilioribus herbarum ejusmodi, aut florum principiis imbutus.

SPIRITUS COCHLEARIÆ.

℞. Cochleariæ florescentis ——— Libras sex:
Contunde leviter, & macera in vase clauso cum sufficienti quantitate Aquæ mediocriter salitæ; deinde, ubi acrem odorem emittere cœperit, affunde
Spiritus Vini rectificati ——— Libras novem.

Distilla ex alembico vitreo in Balneo Arenæ fere ad siccitatem.

Valet ad gingivarum ulcera scorbutica.

Simili ratione paretur Spiritus Nasturtii aquatici, cujus eædem sunt facultates.

Spi-

Spiritus qui e ſola Cochlearia per fermentationem & cohobationem extrahitur, ut ex Meliſſa, proprie ardens non eſt, ſed limpidus, tenuis, & acer, herbæ ipſius odorem ac ſaporem exprimens. Præſtantior cenſetur quam ille qui eſt cum Spiritu Vini paratus, ſed brevi tempore evaneſcit.

SPIRITUS VINI JUNIPERATUS.

℞. Baccarum-Juniperi ———————— Libras tres:

Spiritus Vini communis ſive Aquæ Vitæ — Libras decem.

Diſtilla ex arte, & uſui ſerva.

Externe adhibitus corruptioni reſiſtit. Dulcificatus cum Saccharo interne ſumitur ad ſtomachum roborandum, uti etiam Spiritus Vini aniſatus, & ceteri variorum aromatum odore imbuti, Roſſoles, *&* Ratafiæ *vulgo dicti; quorum explicatio non eſt hujus loci.*

SPIRITUS VINI CAMPHORATUS.

℞. Spiritus Vini rectificati ———— Libras duas:

Camphoræ ———————— Unciam unam.

Facta diſſolutione Camphoræ, Spiritum in vaſe optime clauſo ſerva ad uſum.

Vim habet reſolvendi ac diſcutiendi.

QUIN-

QUINTA ESSENTIA RORISMARINI.

℞. Olei essentialis Rorismarini — Drachmam unam:

Spiritus Vini perfecte dephlegmati, idest Alcohol — Unciam unam & semis.

Confunde utrumque simul in phiala vitrea siccissima: Oleum ab Alcohol prorsus combibetur, ut non amplius appareat. Erit liquor Quinta Essentia dicta Rorismarini.

Ita ex aliis pariter Oleis essentialibus aromaticis Quintas Essentias, quoties libuerit, parare poteris.

Primi inventores plantæ cujusque Spiritum ardentem per fermentationem extractum, & ad Alcohol simplicitatem rectificatum cum proprio ejusdem plantæ Oleo essentiali commiscuisse dicuntur, ad Quintam Essentiam conficiendam: quæ res infiniti laboris jure nunc prætermittitur; cum illi ipsi ardentes vegetabilium Spiritus sic depurati ab Alcohol Vini non multum differant.

Vim suam accipiunt Quintæ Essentiæ ab Oleis essentialibus, ex quibus componuntur.

DOSIS ad paucas guttas.

SPIRITUS CARMINATIVUS SYLVII.

℞. Radicum Angelicæ Bohemicæ,
Imperatoriæ,
Galangæ,
Zingiberis,

Nucis

Nucis Moſchatæ,
Macis, ——— ana Drachmam unam & ſemis:

Foliorum Ocimi,
Majoranæ,
Rutæ,
Roriſmarini,
Summitatum Centaurii minoris,
— ana Manipulum ſemis:

Baccarum Lauri ———— Drachmas tres:

Seminum Angelicæ,
Leviſtici,
Aniſi, ——— ana Unciam ſemis:

Cinnamomi ———— Drachmas ſex:

Caryophyllorum,
Flavedinis Aurantiorum,
— ana Drachmam unam.

Inciſis & modice contuſis affunde
Spiritus Vini ———— Uncias quadraginta.

Macera per biduum, ac diſtilla ex lege artis in Balneo Maris ad ſiccitatem: liquorem diſtillatum reſiduo magmati affunde, ac digere per biduum: iterum diſtilla, & ubi tres quartas liquoris partes receperis ab opere deſiſtes.

Uſus in colica affectione flatulenta.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas duas.

SPI.

SPIRITUS MATRICALIS
DISPENSATORII VIENNENSIS.

℞. Mastiches,
Myrrhæ,
Thuris,
Succini albi, ——————— ana Uncias tres.

Spiritus Vini rectificati ——————— Libras tres.

Digerantur simul ac distillentur ex arte: erit liquor Spiritus Matricalis, quem etiam sola infusione parare poteris, si libuerit.

Ad dolores leniendos, diaphoresim promovendam, & grumosum sanguinem resolvendum commendatur.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

ELIXIR VITÆ
MAGNI DUCIS ETRURIÆ.

℞. Nucis Moschatæ,
Macis,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Cubebarum,
Cardamomi,
Radicum Gentianæ,
Angelicæ Bohemicæ,
Zingiberis,
Zedoariæ,

Ligni

Ligni Aloes,
Piperis albi,
nigri, ——— ana Drachmam ſemis:

Baccarum Juniperi,
Lauri,
Flavedinis Citrei,
Aurantiorum,
Granorum Kermes,
Roſarum rubrarum,
Foliorum Salviæ,
Roriſmarini,
Calaminthæ montanæ,
Pulegii,
Menthæ,
Majoranæ,
Florum Betonicæ,
Nardi Indicæ,
Calami Aromatici, —— ana Scrupulum unum.

Contuſis & conſciſſis omnibus affunde
Spiritus Vini optimi ——— Libram unam.

Macera per dies ſex in vaſe optime clauſo, & in Balneo Maris ex alembico vitreo diſtilla.

Dulcificari poteſt addita convenienti portione Julapii Roſati, vel etiam Sacchari puriſſimi.

Cor, cerebrum, ac ventriculum roborat; ad epilepſiam, ſyncopem, & hyſtericam paſſionem potiſſimum celebratur.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas tres.

SPIRITUS VOLATILES ANIMALES, ET AFFINES.

SPIRITUS, SAL VOLATILIS, ET OLEUM CORNU CERVI.

℞. Cornu Cervi in frustula diffracti, vel limati — quantum placet.

Imple retortam vitream loricatam: hanc in furnulo reverberii statue, ejusque collo recipiens amplum appone, commissuris apte conglutinatis. Accenso igne mediocri prodibit phlegma; postea calore paullatim aucto, recipiens albis vaporibus opplebitur, & Spiritus, idest liquor pinguis flavescens, defluet; eodemque tempore Sal Volatilis concavæ excipuli superficiei adhærebit: sub finem Oleum initio tenue, postea densum & nigricans exibit. Refrigeratis omnibus excipulum remove, & quæ in eo continentur per infundibulum chartaceum filtra: supra infundibulum remanebit Oleum empyreumaticum densum, trajicietur phlegma cum Spiritu, & Sale volatili dissoluto. Hæc simul confusa immitte in matracium longioris colli, superposito capitello, juncturisque omnibus rite obturatis: leni calore Salis Volatilis purioris albi pars sublimabitur, quam seorsum colliges. Quod reliquum in matracio fuerit ex alembico vitreo distilla in Balneo Maris: prodibit Spiritus alkalinus, volatilis, quem igne moderato prolicies, usque eo dum Salis Volatilis odore & acrimonia bene imbutus exstillet.

Spi-

Spiritus Cornu Cervini diaphoreticum penetrantissimum est, aperiens, attenuans, ac diureticum. In arthritide, ac paralysi usum præstat, ac in febribus continuis & malignis, ubi inertiæ ac lentoris adsunt indicia.

DOSIS a Guttis decem ad Guttas viginti.

SPIRITUS, SAL VOLATILIS, ET OLEUM CRANII HUMANI.

Eadem prorsus ratione eliciuntur, ut ex Cornu Cervino.

Spiritus ad epilepticos insultus peculiariter valere creditur: revera ejusdem naturæ ac Spiritus volatilis Cornu Cervi, & alii omnes qui ex Animalibus petuntur.

SPIRITUS, SAL VOLATILIS, ET OLEUM VIPERARUM.

℞. Viperas exsiccatas, & in frusta concisas — quot volueris.

Eodem ordine procedes, ut in extractione Spiritus, Salis Volatilis, & Olei Cornu Cervi.

SPIRITUS, SAL VOLATILIS, ET OLEUM SANGUINIS HUMANI.

℞. Sanguinis Humani coagulati, & exsiccati — quantum placet.

Omnia fiant ut in distillatione Cornu Cervi supra descripta: retorta vero ad dimidias implenda.

SPIRITUS, SAL VOLATILIS, ET OLEUM URINÆ.

℞. Urinæ sani hominis ad melleam consistentiam ignis ope redactæ, & cum arena permistæ — quantum placet.

Distilla per retortam, sed igne moderatissimo: omnia contingent ut in distillatione Cornu Cervini.

SPIRITUS, SAL VOLATILIS, ET OLEUM SERICI.

℞. Folliculorum Sericorum optime repurgatorum — quantum placet.

Utere eadem methodo, ut in extrahendo Spiritu, ac Sale Volatili ex aliis Animalium partibus, vel excrementis.

SPIRITUS, SAL VOLATILIS, ET OLEUM FULIGINIS.

℞. Fuliginis splendentis ——————— quantum placet.

Distilla ex retorta ad duas tertias repleta: contingent omnia, ut in distillationibus Animalium.

Spiritus omnes volatiles ſupra deſcripti, ut inter ſe, ſic etiam cum Spiritu Cornu Cervi communem fere habent naturam & facultates.

DOSIS a Guttis decem ad Guttas viginti.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI

PER ALKALI FIXUM.

℞. Salis Ammoniaci,
Tartari calcinati, ———— ana Uncias octo.

Separatim pulveriſatis & commiſtis ſine mora affunde
Aquæ puræ ———————— Uncias ſex.

Diſtilla ex retorta in recipiens amplum, igne gradatim aucto. Concreſcet Sal Volatilis ad latera excipuli, & liquor prodibit, qui portionem ſalis diſſolvet. Abſoluta operatione recipiens concute, ut Spiritus ſuo ſale volatili quantum fieri poteſt imbuatur; eundemque in vaſe vitreo optime clauſo ad uſum ſervabis.

In fundo cucurbitæ maſſa remanebit ſalina, ex qua Sal Febrifugus ſive Digeſtivus Sylvii extrahi poterit.

Penetrandi vim habet, circulationem ſanguinis promovet, obſtructiones reſerat, febribus intermittentibus, paralyſi, apoplexiæ, & hyſtericis paſſionibus ſuccurrit.

DOSIS a Guttis duabus ad Guttas decem.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI PER CALCEM.

℞. Salis Ammoniaci ———————— Uncias octo:

Calcis vivæ ———————————— Libras duas.

Seorsum pulverisatis, & in cucurbita vitrea commistis illico affunde

Aquæ fontis ——————————— Libram unam.

Apposito capitello, & commissuris apte conglutinatis, distilla ex lege artis, calore arenæ sub initium moderatissimo, postea gradatim aucto; recipiens vero sit valde amplum. Exibit Spiritus sine ullo Sale volatili concreto: ubi octo uncias obtinueris a distillatione cessabis.

Volatilitatem habet & acrimoniam summam, nisi evanuerit. Naribus admotum vehementer stimulat, eoque titulo lethargicis convenit. Pro interno usu minus securus videtur quam proxime descriptus.

SPIRITUS VOLATILIS AROMATICUS OLEOSUS.

℞. Flavedinis siccæ Aurantiorum,

Citrei, —— ana Drachmas sex:

Vanillæ ———————————— Unciam semis:

Macis ————————————— Drachmas duas.

Contusis admisce

Salis

Salis Tartari Alkalini,
Ammoniaci, —— qui seorsum singuli pulverisati fuerint, ana Uncias quatuor.

Hoc facto, statim affunde
Aquæ Cinnamomi spirituosæ,
Spiritus Vini rectificati, — ana Uncias quatuor.

Digere per dies aliquot, & ex alembico vitreo distilla in Balneo Maris secundum artem.

Utiliter olfaciendus præbetur in affectibus soporosis, & animi deliquiis.

Exemplo esse potest ad Spiritus alios aromaticos volatiles, prout cuique libitum fuerit, componendos.

SPIRITUS ANTAPOPLECTICUS
VULGO
GUTTÆ ANGLICANÆ GODDARDII.

℞. Spiritus Serici proprio sale volatili quantum fieri potest saturati — Uncias quatuor:
Olei essentialis Spicæ ———— Drachmam unam:
Spiritus Vini rectificati ———— Unciam semis.

Digere per horas XXIV: distilla ex arte donec Oleum prodire incipiat: Spiritum distillatum in usum serva.

In apoplexia serosa habetur pro specifico.

DOSIS a Guttis decem ad Guttas sexdecim.

LIQUOR CORNU CERVI SUCCINATUS

BARCKHAUSEN.

℞. Spiritus Cornu Cervi ——— quantum placet.

Immitte in phialam vitream, & affunde paullatim Salis Volatilis Succini ——— quantum satis

ad perfectam saturationem, quæ tum facta cognoscetur, quando cessaverit omnis effervescentia. Obturata phiala, liquorem in Balneo digere per dies octo, & in vase optime clauso reconde.

Incidens est ac diaphoreticum eximium: in motibus etiam convulsivis & epilepticis plurimum commendatur.

DOSIS a Guttis quatuor ad Guttas duodecim.

Nisi Sale Volatili Succini legitime parato usus fueris, effervescentiam ac veram saturationem frustra expectabis. Quod si Cornu Cervi una cum Succino in retorta distillaveris, ut minus recte quidam faciunt, Spiritum quidem Cornu Cervi odore Olei Succini utcumque imbutum elicies, nobile hoc medicamentum reipsa non habebis. In penuria tamen, quæ sæpe est maxima, Salis Volatilis Succini tolerabilem substitutionem facies, si loco illius Spiritum Succini rectificatum adhibeas; qui cum & ipse acidæ naturæ sit, cum Spiritu Alkalino Cornu Cervi junctus idem fere præstabit, quod Sal Volatilis ejusdem Succini.

SPIRITUS ACIDI VEGETABILES ET AFFINES.

SPIRITUS ACETI SIVE ACETUM DISTILLATUM.

℞. Aceti optimi ——————— quantum placet.

Diſtilla ex cucurbita vitrea calore arenæ, quoad maſſa inſtar mellis in fundo ſuperſit: ac phlegmate inutili, quod ſub initium prodit, rejecto, diſtillatum acidum liquorem uſui ſerva.

Putredini, ac nimiæ humorum colliquationi reſiſtit: in febribus malignis ac peſtilentibus uſurpatur.

DOSIS a Drachma una ad Unciam dimidiam.

SPIRITUS ACIDUS TEREBINTHINÆ.

Emergit ex diſtillatione Terebinthinæ, quæ ad illius Oleum extrahendum adhibetur: ita etiam Spiritus Succini, qui & ipſe acidus eſt, communem cum Oleo proprio elaborationem habet. Utrumque opus in Oleorum recenſione explicabitur.

SPIRITUS LIGNI GUAJACI.

Diſtillationis ope una cum proprio Oleo elicitur: ac, ſi forte inquinatior fuerit, iterata diſtillatione rectificetur.

Urinam ciet, ac diaphoreſim promovet.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

SPIRITUS, ET OLEUM TARTARI
PER DISTILLATIONEM.

℞. Tartari crudi ——————— quantum placet.

Diſtilla ex retorta vitrea loricata ad tertias repleta: recipiens amplum admove, & ignem gradatim auge. Prodibit initio phlegma ſubacidum, quo ceſſante, ac mutato excipulo, ignem paullatim & cautiſſime augebis, commiſſuris non nimis firmiter glutinatis, ne vaſa rumpantur. Exibunt vapores albi, copioſiſſimi, per lutum penetrantes; eodemque tempore ſpirituoſus liquor cum Oleo volatili, tenui, ac ſubflavo in recipiens exſtillabit. Ulterius, promoto igne, Oleum ſpiſſum, nigrum, graveolens prodibit. Abſoluta operatione Oleum utrumque a liquore ſpirituoſo per infundibulum ſeparabis: quod in fundo retortæ ſupereſt Tartarus calcinatus eſt, a quo Salem Tartari fixum elicere poteris.

Spiritus penetrantiſſimus eſt, urinam ac menſes ciet, in obſtructionibus, & hyſtericis affectibus perutilis habetur.

DOSIS a Guttis quatuor ad Guttas viginti.

SPIRITUS ACIDI MINERALES.

SPIRITUS SALIS MARINI.

℞. Salis Marini decrepitati ——————— Libras tres:

Boli Armenæ ——————————— Libras novem.

Pulverisatum Salem cum Bolo misce exactissime, & adjuncto Aquæ quod satis fuerit, subige in massam seu pastam, ex qua globuli formentur. Globulos rite exsiccatos immitte in retortam optime loricatam, quam in furnulo reverberii collocabis, apposito recipiente amplissimo. Distilla igne lento per horas aliquot, sensim ascendendo per omnes gradus: prodibit initio phlegma subacidum, deinde albis vaporibus opplebitur recipiens, eodemque tempore Spiritus acidus exstillabit. Sustineatur ignis vehementissimus ad plures horas, quoad nihil amplius neque vaporis, neque guttularum specie erumpat. Refrigeratis omnibus amoveatur recipiens, & effundatur Spiritus, in vase optime clauso reponendus.

Si rectificandus fuerit, distilletur ex alembico vitreo in Balneo Maris: prodibit initio phlegma insipidum, quod projiciatur ut inutile: residuum distilletur calore arenæ, & habebitur Spiritus Salis rectificatus.

Putredini adversatur, bilem corrigit, sitim extinguit, urinam movet, hydropi succurrit, febribus ardentibus, malignis, ac pestilentibus præsidio est, in convenienti vehiculo exhibitus.

DOSIS a Guttis duabus ad Guttas octo.

SPIRITUS SALIS MARINI

METHODO GLAUBERIANA.

℞. Salis Marini decrepitati ——— Uncias sexdecim:

Olei Vitrioli ——————— Uncias octo.

Sali in retortam vitream indito affunde sensim Oleum Vitrioli: distilla arenæ calore ad siccitatem, noxios vapores affatim erumpentes & in toto opere, & in solutione apparatus caute vitando. Spiritum Salis habebis meracissimum: massa in fundo relicta Salem dabit Mirabilem dictum Glauberi.

Commodius ac tutius procedes, si ante affusionem Olei Vitrioli aquam stillatitiam ad duplum pondus ipsius Olei supra Salem in retortam immiseris. Sic vero aquosiorem Spiritum obtinebis, sed largiori copia.

SPIRITUS NITRI.

℞. Nitri ——————— Libras duas:

Boli Armenæ ——————— Libras sex.

Eodem apparatu, quem descripsimus pro Spiritu Salis Marini, instituatur distillatio ex retorta in reverberii furnulo. Vapores initio subflavi, postea ruberrimi excipulum implebunt, quibus imminutis, ignis cesset. Refrigeratis omnibus Spiritum fumantem e recipiente effundes, ac in usum servabis.

Justa liquoris copia dilutus ardorem sanguinis reprimit, urinas pellit, bilem viscidam incidit: vix apud nos adhibetur, nisi fuerit Spiritu Vini dulcificatus.

DOSIS a Guttis duabus ad Guttas sex.

Me-

Methodo etiam Glauberiana ſimili modo paratur, ut Spiritus Salis Marini; ex maſſa vero reſidua Nitrum Vitriolatum conficitur.

AQUA FORTIS SIVE AQUA STYGIA.

℞. Nitri,
Vitrioli ad albedinem calcinati,
Boli Armenæ, ——————— ana Partes Æquales.

Inſtituatur diſtillatio eodem apparatu, eodemque ordine ac pro extrahendo Spiritu Nitri. Rubris vaporibus ceſſantibus, omnia refrigeſcant: erit in recipiente Aqua Fortis a Spiritu Nitri reipſa parum differens. In fundo retortæ maſſa remanebit rubra, ex qua per elixiviationem & cryſtalliſationem ſalem elicere poteris, qui vulgo dicitur Sal de duobus, ſive Arcanum duplicatum.

Uſus ad diſſolutiones metallicas.

AQUA REGIA.

℞. Aquæ Fortis ——————————— Libram unam:
Salis Ammoniaci ————————— Uncias quatuor.

Miſce in matracio ſatis capaci, ac digere calore arenæ ad integram Salis Ammoniaci diſſolutionem.

Pro auro ſolvendo.

SPI-

SPIRITUS VITRIOLI
Ejusque Oleum Vulgo Dictum.

℞. Vitrioli ad albedinem calcinati & pulveriſati — quantum ſufficit.

Inde in retortam optime loricatam, donec fuerit ad duas tertias repleta: retortam in furnulo reverberii ſtatue, & peramplum recipiens appone. Diſtilla lento igne dum phlegma prodire incipiat, quo ſeparato, commiſſuras apte conglutina; ignem vero auge per gradus omnes ad vehementiam ſummam, ut flamma luculenta e ſummo furnuli apice continenter erumpat. Vaporibus albis implebitur recipiens, Spiritus, & ultimo liquor denſus, ideſt Oleum vulgo dictum exibunt. Ubi per multas horas, labore ſine ulla interruptione die ac nocte continuato, ignem ſuſtinueris, ceſſa; refrigeratiſque omnibus recipiens amove, & liquores in eo contentos in lagenam vitream prudenter effunde. Ut vero Spiritum ab Oleo ſepares, rectificationem adhibe per alembicum calore arenæ. Spiritus quidem exſtillabit, Oleum vero ita dictum in fundo cucurbitæ remanebit.

Sunt qui Spiritum a rectificatione initio prodeuntem, titulo Spiritus Vitrioli volatilis ſeorſum aſſervent.

Spiritus febrium ardorem extinguit, refrigerat, & adſtringit; Oleum adhibetur ad varias operationes Chemicas.

DOSIS Spiritus a Guttis quatuor ad Guttas ſex.

SPIRITUS SULPHURIS
Ejusque Oleum Vulgo Dictum.

℞. Sulphuris craſſiuſcule triti —— quantum placet.

Præſto ſit campana vitrea inſtar alembici roſtrata, quantum fieri poteſt ampla, ſub camino ſuſpenſa; hujus internam ſuperficiem vapore aquæ calentis humidulam reddes. Portionem deinde ſulphuris in cratere leniter liquefacies: craterem ipſum, incenſo ſulphure, ſub campana collocabis, & intra ipſius cavum attolles, quantum fieri poteſt, modo ne Sulphur extinguatur; cruſtam, quæ in ſuperficie illius facile concreſcit identidem rumpendo. Ubi hoc deflagraverit novum craterem ſubſtitue, & poſt hunc tertium, & ſic deinceps. Colligetur ad internam campanæ faciem roridus vapor, qui paullatim ab ejus limbo per roſtrum diſtillans ſubjecto vitreo vaſculo excipi poterit. Sic perges donec ſufficientem habueris liquoris quantitatem. Tempore frigidiuſculo, nubilo cælo, aere humido, a ventis quieſcente, nocturnis horis operatio hæc longe felicius ſuccedit.

Pro varia temporis & inſtrumentorum ratione, modo tenuior & aquoſior exſtillat liquor, & dicitur Spiritus, modo denſior, & dicitur Oleum.

Ejuſdem fere naturæ ſunt liquores iſti cum Spiritu & Oleo Vitrioli, ſed mitiores & adſtrictione carentes. In febribus ardentibus, malignis, & contagioſis ad corruptionem arcendam, nimiumque ardorem compeſcendum egregium habent uſum.

DOSIS Spiritus a Guttis quatuor ad Guttas duodecim, Olei ad Guttas ſex.

SPI-

SPIRITUS SALIS DULCIFICATUS.

℞. Spiritus rectificati Salis Marini,
Vini, —— ana Partes Æquales.

Spiritum Salis ſupra Spiritum Vini paullatim inſtilla in cucurbita vitrea ſatis ampla: digere ſimul leniſſimo calore, & permiſtum optime liquorem uſui ſerva.

Diureticus eſt & alexipharmacus, hydropi, peſti, ac febribus ardentibus convenit, humores a corruptione defendit.

DOSIS a Guttis quatuor ad Guttas ſexdecim.

SPIRITUS NITRI DULCIFICATUS.

℞. Spiritus Nitri,
Vini rectificati, — ana Partes Æquales.

Eodem ordine procedes, ut ſupra, affundendo Spiritum Nitri ſupra Spiritum Vini, non contrario ordine: ſit vero inſtillatio leniſſima, ne vehementior ebullitio periculum inferat.

Ad eadem valet, ad quæ Spiritus Nitri ſimplex, at longe ſecurius exhibetur & jucundius.

DOSIS a Guttis quatuor ad Guttas duodecim.

Uterque Spiritus Salis Marini, ac Nitri dulcificatus longe præſtantior erit, ſi diſtillatione in Balneo Maris peracta, ſemel iterumque rectificetur; in quo tamen opere ponderis jactura vitari nequit.

SPI-

SPIRITUS ANTIEPILEPTICUS PARACELSI EX DESCRIPTIONE PEZOLDTI.

℞. Vitrioli depurati, & ad albedinem ſub radiis ſolaribus calcinati — quantum placet.

Irroretur Spiritu Vini rectificato ad pultiformem conſiſtentiam, & ex retorta loricata diſtilletur, appoſito ſatis capaci vitreo excipulo. Lento igne admoto, prodibit initio Spiritus odorem præſeferens vinoſum; paullatim deinde aucto ignis gradu, Spiritus alter effluet Vitriolicus blande acidus. Ambo in excipulo ſimul juncti, Spiritum conſtituent volatilem, ſulphureo odore vix tolerabili nares ferientem, quem poſt continuatam ad horas circiter XXIV. diſtillationem, ſoluto apparatu, caute & diligenter auferes. Colchotar rubrum poroſum in retortæ fundo reſiduum trifariam divides, tertiæ vero parti totum Spiritum volatilem, de quo ſupra dictum eſt, affundes, rurſuſque ex alia retorta arenæ calore diſtillabis. Liquorem volatilem fragrantem obtinebis ex noviſſima diſtillatione, Spiritum nempe Antiepilepticum Paracelſi.

Ad epilepticos & convulſivos inſultus ſedandos plurimum valet, in primis eos, qui ab hyſterica paſſione, a variolis, a morbillis, aliiſque ſanguinis inquinamentis originem ducunt. Vice Liquoris Anodyni Mineralis, qui apud nos paratu difficillimus, adſcito ejus nomine, paſſim uſurpatur.

DOSIS a Guttis ſex ad Guttas viginti.

LIQUOR ANODYNUS MINERALIS.

℞. Olei Vitrioli rectificati recentis, & probe fumantis,
Alcohol Vini perfecte dephlegmati,
— ana Partes Æquales.

Instilla guttatim Oleum Vitrioli supra Alcohol in retorta vitrea, cavendo a noxiis vaporibus, & aptato excipulo satis amplo, apparatum instrue ad distillationem. Digere per triduum donec rubescat mistura: dein moderato calore distilla in Balneo Arenæ. Prodibit Spiritus volatilis Æther Vitrioli dictus. Vaporibus albis apparentibus, & sulphureo odore exspirante, recipiens amove, ac rite obturatum sepone. Novum deinde excipulum subde, ac rursus distilla leni calore ad siccitatem. Habebis in altero excipulo liquorem acidum, & una cum eo partim supernatans, partim fundum petens Oleum dulce Vitrioli, quod rite a Liquore acido secernes. Hujus Olei drachma Ætheris, de quo supra dictum est, unciis duabus probe admista, & in eo dissoluta, ex communi fere sententia, Liquorem Anodynum Mineralem constituit a Friderico Hoffmanno tantopere celebratum, qui tamen multis ex causis apud nos vix confici, nisi perdifficiliter & maximo cum impendio potest.

Morbis a debilitate fibræ motricis oriundis, apoplexiæ, paralysi, vertigini, atque epilepsiæ, incomparabile auxilium habetur.

DOSIS a Guttis tribus ad Guttas duodecim.

AQUA

AQUA RABELIANA.

℞. Olei Vitrioli ——————— quantum placet:
Spiritus Vini rectificati ————— triplum.

Digere ex arte in vase circulatorio per dies aliquot: dulcificatus liquor servetur ad usum.

Adstringendi vi præstat, ac in gonorrhæis virulentis potissimum commendatur.

DOSIS a Guttis tribus ad Guttas decem.



SECTIO V.

QUÆ EST

DE

OLEIS DISTILLATIS.

OLEA ESSENTIALIA.

OLEUM ESSENTIALE
VULGO
ESSENTIA SPICÆ.

℞. Spicæ, ideſt Lavandulæ, floreſcentis
— quantum ſufficit.

Inſtituatur diſtillatio, cum affuſione liquoris extracti ad novam herbam pluries iterata, ut in Aqua Meliſſæ per cohobationem ſupra deſcripta. Poſt aliquot cohobationes in liquore diſtillato Oleum Eſſentiale ſupernatans apparebit, quod proprio inſtrumento diligenter ſeparatum in uſum ſervetur.

Eadem ratione ex aliis quoque plantis, præsertim odoratis Olea Essentialia, sive, ut vulgo ajunt, Essentiæ educi possunt: E. G.

Oleum Essentiale Absinthii.
Oleum Essentiale Sabinæ.
Oleum Essentiale Thymi.
Oleum Essentiale Salviæ.
Oleum Essentiale Menthæ.
Oleum Essentiale Rorismarini.
Oleum Essentiale Florum Chamæmeli.
Oleum Essentiale Rosarum. &c.

Neque interim de omnibus regula generalis statui potest: nam aliæ quidem herbæ æstate, aliæ autumno colligendæ, aliæ recentes distillandæ, aliæ ad umbram modicæ siccatæ: in nonnullis maceratio distillationi præmittenda, addita, si opus fuerit, Salis Marini, vel Salis Tartari portione: non tamen maceratio ad fermentationem ducenda, sic enim Oleum attenuatum, & aquoso latici permistum spiritus forma prodiret. Qui has cautiones neglexerit vel nullam, vel minimam certe Olei copiam obtinebit.

OLEUM ESSENTIALE CORTICUM
CITREI.

℞. Corticum Citrei exteriorum ——— Libras duas:
Aquæ fontis ——————————— Libras decem.
Distilla, ut artis est, nulla maceratione adhibita:
Oleum

Oleum liquori diſtillato ſupernatabit fragrantiſſimum, quod in uſum ſervabitur.

Eodem ſervato ordine ex Aurantiis ac Limonibus immaturis Oleum Eſſentiale non magno negotio extrahetur.

Olea Eſſentialia hactenus recenſita ſtomachica fere ſunt omnia, cardiaca, roborantia, flatuſque diſcutientia: de indole quoque ſimplicium, ex quibus petuntur, multum retinent.

DOSIS ad Guttas aliquot in convenienti liquore.

OLEUM ESSENTIALE ANISORUM.

℞. Aniſorum modice contuſorum — Libras decem:

Aquæ ſalitæ ——————— Libras quadraginta.

Macera per biduum, & ex aheno diſtilla: habebis Oleum liquori diſtillato ſupernatans, quod frigore coagulabitur, procedente tempore ſponte liqueſcet, odoris interim & ſaporis gratia amiſſa. Ne ſit capitelli fiſtula nimis anguſta, neque nimium refrigerata, ne Oleum in ipſa cum artificis damno concreſcat.

Ventriculum roborat, flatus pellit, menſes ciet, pulmoni male affecto ſuccurrit.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Scrupulum unum.

Ita etiam e ſeminibus Fœniculi & Carvi elici poteſt Oleum Eſſentiale.

OLEUM ESSENTIALE
Baccarum Juniperi.

Eadem ratione paretur ac Oleum Aniſorum.

Uſus in paralyſi, ulcere pulmonum, dolore colico, & peſte.

OLEUM ESSENTIALE
Caryophyllorum.

℞. Caryophyllorum ——————— Libram unam:

Aquæ fontis ——————— Libras duodecim.

Diſtilla ex aheno, ut artis eſt, igne ſub initium, ſatis vehementi: prodibit aqua turbida, & cum ipſa Oleum Eſſentiale acerrimum, ponderoſum, quod fundum aquæ petet. Ubi duas tertias liquoris partes elicueris deſiſte: Oleum ſepara ab aqua per inſtrumentum proprium, ac in vaſe rite obturato reconde. Aquam diſtillatam una cum decocto in fundo aheni reſiduo adhibere poteris ad novos Caryophyllos diſtillandos, ſicque uberiorem Olei copiam obtinebis.

Fervidiſſimum eſt, ac pœne cauſticum: in morbis frigidiſſimis ad inertiam ſpirituum ſuſcitandam, facultates vitales recreandas in primis efficax habetur.

DOSIS ad paucas Guttas.

Huc pertinent Olea Eſſentialia ceterorum aromatum, quæ cuncta eadem methodo extrahuntur ac

Oleum

Oleum Caryophyllorum. Inter cetera omnium pretiosissimum eminet Oleum Cinnamomi; quod tamen in his locis sine gravi impensa vix obtineri potest. Ex distillatione Cinnamomi, ad ejus Aquam lactescentem conficiendam rite peracta, portio interdum aliqua, sed longe parcissima, elicitur fragrantissimi hujus Olei, aurei coloris, aquæ fundum petentis. Si ex Batavia, aut aliunde ad medicos usus arcessendum fuerit, ut optimum sit ac sincerissimum, non mediocris cura adhibenda.

OLEUM CARYOPHYLLORUM
per Descensum.

℞. Caryophyllorum ———————— quantum placet.

Contunde in massam pinguem, & extende supra linteum densum: linteum expande supra os vasis cylindrici vitrei: patinam ferream convexam linteo superpone, quæ Caryophyllos contusos premat nonnihil intra cavum vitri. Calefiat leniter patina cinere imposito, & paucis carbonibus ardentibus: ad interiorem vitri ambitum Aqua pariter & Oleum stillabunt. Perge eodem gradu moderatissimo caloris, donec nihil amplius egrediatur: Oleum habebis per descensum, quod a phlegmate suo facile separabis. Si paullo vehementiorem ignem adhibueris, odore gravi empyreumatico Oleum vitiabitur.

Convenit cum Oleo per ascensum; sed illud præstantius est, ac pro interno potissimum usu huic per descensum anteponendum.

OLEA

OLEA ELEMENTALIA.

OLEUM, ET SPIRITUS ACIDUS LIGNI GUAJACI.

℞. Scobis vel fragmentorum Ligni Guajaci
— quantum ſatis.

Immitte in retortam loricatam: diſtilla per gradus in reverberii furnulo, appoſito recipiente vitreo: prodibit initio phlegma, quod ut inutile projicies: poſtea obſeratis commiſſuris ignem urge per omnes gradus. Vaporibus implebitur recipiens: liquor acidus ruber ſive Spiritus exſtillabit cum Oleo, primum tenui ac ſupernatante, deinde craſſo, ſubnigro, & fundum petente. Refrigeratis omnibus, liquores e recipiente leniter effundes, ut Oleum craſſius ac in fundo ſubſidens remaneat. Oleum tenuius ac levius per infundibulum a Spiritu ſive acido liquore ſeparabis.

Oleum denſum promiſcue adhiberi poteſt cum Oleo Guajaci per deſcenſum: tenue apud nos vix ullo eſt uſui.

Eadem ratione parentur

Oleum Ligni Buxi.
Oleum Ligni Juniperi. &c.

Cum vero ligni alicujus odorati, uti Santali Citrini, Ligni Rhodii, Saſſafras, ac ſimilium Oleum præſcriptum occurrerit, non elementale intelligendum,

 ſed

ſed eſſentiale. Extrahendi modus idem, qui Olei Caryophyllorum, & Olei Cinnamomi.

OLEUM LIGNI GUAJACI
PER DESCENSUM.

℞. Ligni Guajaci in taleolas conciſi
— quantum ſufficit.

Imple ollam terream mundam, cujus ori alterius ollæ amplioris os obvertes: interpoſita lamina ferrea cribri inſtar pertuſa, & juncturis apte conglutinatis, ollam vacuam ſub terra defodies ad eum fere locum quo cum olla plena connectitur. Circa ollam ſuperextantem carbonum acervum incendes, quo undique operiatur: eo conſumpto, & fumo ceſſante, ollas quam citiſſime dirime. Oleum denſum in inferiori habebis, quod a ſuo phlegmate ex lege artis ſeparabis.

Externe adhibetur in ulceribus venereis ad oſſium cariem exſtirpandam.

OLEUM, ET SPIRITUS ACIDUS TEREBINTHINÆ.

℞. Terebinthinæ Venetæ ——————— quantum ſatis.

Diſtilla ex retorta loricata per omnes ignis gradus: prodibit initio phlegma, deinde liquor acidus, & cum eo Oleum ſubtiliſſimum æthereum dictum, poſtea denſius aliud rubelli coloris, ultimo craſſum & ſubnigrum: refrigeratis omnibus liquores ſimul confunde:

Oleum a Spiritu acido per infundibulum ex arte ſeparatum, & aqua calida ablutum ad uſum reconde.

Vulnerarium & balſamicum inſigne eſt, Chirurgis uſitatiſſimum.

Oleum æthereum ſeorſum aſſervare poteris, ſi libuerit: quod ſi puriſſimum ac limpidiſſimum requiras, Terebinthinam cum triplo Aquæ fontis diſtilla ex aheno vel cucurbita vitrea. Aquæ in excipulo collectæ Oleum innatabit pellucidum, tenue, æthereum proprie dictum, quod ſeparatum ad uſum ſervabis. In aheno vel cucurbita remanebit Terebinthina excocta inſtar Colophoniæ.

Reſinoſa corpora diſſolvit, eoque titulo ad mechanica & chemica opera expetitur.

OLEUM, SPIRITUS, ET SAL VOLATILIS SUCCINI SEU KARABES.

℞. Fragmentorum Succini ——— quantum ſatis.

Inde in retortam loricatam ad repletionem tertiæ partis: diſtilla igne per gradus paullatim aucto: prodibit initio phlegma, deinde liquor ſpirituoſus, cum Olei tenuis portione. Rurſus ignem gradatim auge: apparebit ad collum retortæ ac recipientis Sal Volatilis dictus; eodemque tempore Oleum ſubrubrum exibit. Ubi nihil fere vaſorum parietibus accreſcere videas, amoto recipiente, Salem omnem aufer ſollicite, ne ab Oleo ſuperveniente obruatur. Si diſtillationem ad finem perducere libeat, applicato iterum ex-

cipulo, urge ignem vehementer: prodibit Oleum nigrum ſatis copioſum. Refrigeratis omnibus, liquorem ſpirituoſum ab Oleis ſepara ope infundibuli; Olea vero ipſa ſimul confuſa rurſus diſtilla ex retorta vitrea in Balneo Arenæ: prodibit Oleum purius ac tenuius, quod in uſum ſervabis.

Paralyticis, hyſtericis, apoplecticis, & epilepticis convenit, tam interne, quam externe adhibitum.

DOSIS a Gutta una ad Guttas quatuor.

BUTYRUM CERÆ.

℞. Ceræ flavæ ——————————— Uncias ſex:
Arenæ ſiccæ cribratæ ——————— Libram unam.

Ceræ liquefactæ arenam admiſce, & globulos effinge, eoſque ex retorta loricata per gradus diſtilla. Prodibit initio phlegma, deinde Oleum inſtar Butyri in recipiente concreſcens, initio tenuius, poſtea nonnihil denſius. Hoc a phlegmate ſeparatum ad uſum ſervabis.

Anodynum eſt, nervinum, emolliens, laxans; ad hæmorrhoides dolentes unguenti loco adhibetur.

OLEUM CERÆ LIQUIDUM.

℞. Butyri Ceræ ——————— quantum placet.

Liquefactum infunde in retortam vitream, quæ ad dimidiam partem impleatur: diſtilla calore arenæ ſenſim

ſim & per gradus aucto. Butyrum totum exibit in recipiens, vix ulla fæce relicta; ſed conſiſtentiæ longe mollioris: operationem hanc toties iterabis, dum Oleum prorſus liquidum obtineas.

Ad labiorum ac papillarum ſciſſuras curandas, perniones diſcutiendos, rigidas nervorum ac tendinum contractiones leniendas nihil efficacius. Exhibetur etiam interne.

DOSIS a Guttis ſex ad Guttas duodecim.

OLEUM DE LATERIBUS MESUÆ
SIVE
OLEUM PHILOSOPHORUM.

℞. Laterum antiquorum fruſta —— quot volueris.

Ignita ſubmerge in
Olei Olivarum ——— quantitate ſufficienti,

ut perfecte imbui poſſint: poſtea exſiccata in craſſum pulverem comminue, ac diſtilla ex retorta loricata igne reverberii. Oleum in excipulo collectum, & a phlegmate, ſi opus fuerit, ſeparatum ad uſum ſervabis.

Penetrandi & attenuandi vim habet; in arthritide, & paralyſi externe adhibitum commendatur: lienis quoque, renum, veſicæ, uteri, nervorum, & articulorum doloribus ac vitiis a frigida cauſa ortis conducit.

OLEUM

OLEUM CORNU CERVI.

Producitur eadem elaboratione, quam pro Spiritu Cornu Cervi deſcripſimus: ita etiam eliciuntur ope diſtillationis, una cum ſuis Spiritibus & Salibus Volatilibus, ac fere inter ſe omnia conveniunt

Oleum Cranii humani.
Oleum Sanguinis humani.
Oleum Viperarum.
Oleum Fuliginis. &c.

OLEUM ANIMALE
DIPPELII.

℞. Olei Cornu Cervi, vel alterius cujuslibet Animalis — quantum placet.

Ablue ſæpius aqua pura, ut Sal volatilis ipſi adhærens prorſus ſeparetur. Iterata pluries ac pluries rectificatione in alembico vitreo, mitius tandem fiet, tenue, pellucidum, ſaporis odoriſque haud ita ingrati, & quod internis etiam uſibus deſtinari poſſit.

Commendatur ut anodynum, paregoricum, reſolvens, ac febrifugum.

DOSIS a Guttis quinque ad Guttas viginti.

BALSAMA EX OLEIS DISTILLATIS.

BALSAMUM APOPLECTICUM ZWELFFERI.

℞. Olei eſſentialis Cinnamomi,
Coriandrorum,
Majoranæ,
Spicæ,
Roriſmarini,
Salviæ,
Succini rectificati, — ana Scrupulum ſemis:
Nucis Moſchatæ — Drachmas tres & ſemis:
Balſami Peruviani ———— Scrupulos duos.

Miſce, & fiat Balſamum ſine igne.

Ad capitis affectus ſublevandos expetitur; maxime pro iis qui ab odoratis non læduntur.

Exemplo eſſe poteſt ad ſimilia Balſama componenda.

BALSAMUM SULPHURIS TEREBINTHINATUM.

℞. Florum Sulphuris ———— Unciam unam:
Olei Terebinthinæ ætherei —— Uncias quatuor.

Dige-

Digere in phiala vitrea calore leniſſimo per horas duas; poſtea leviter bulliat miſtura, ut Flores in Oleo ſolvantur. Liquorem a parte non ſoluta per inclinationem ſepara, & uſui ſerva.

In pulmonum ulceribus interne exhibetur, abſente febre.

DOSIS a Gutta una ad Guttas quinque.

BALSAMUM SULPHURIS ANISATUM.

℞. Florum Sulphuris ———————— Unciam unam:
Olei Aniſorum ———————— Uncias quatuor.

Eadem ratione fiat ut Balſamum Sulphuris Terebinthinatum.

Cum proxime deſcripto convenit, ſed mitius & ſuavius.

DOSIS a Guttis duabus ad Guttas duodecim.



SE-

SECTIO VI.

QUÆ EST

DE

SALIBUS.

SALES NATIVI ET ESSENTIALES.

NITRUM DEPURATUM.

℞. Nitri communis ———————— Libram unam.

Diſſolve & clarifica in

Aquæ fontis ——————————— Libris ſex.

Filtra ſolutionem, & lento igne evapora, uſque dum in ſuperficie liquoris quaſi tela quædam ſive pellicula appareat: repone vas in loco frigido: formabuntur cryſtalli priſmaticæ, hexagonæ, candidæ, quas leniter ſiccatas in uſus medicos ſervabis. Ex liquore reſiduo iterum decocto Nitrum minus purum ad alios uſus colligere poteris. Quod ſi prima depuratione non ſatis candidum evaſerit, diſſolutio & cryſtalliſatio methodo ſupra deſcripta iterentur.

In acutis & inflammatoriis morbis ob attenuandi, ac refrigerandi vim crebro usurpatur.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

CREMOR TARTARI.

℞. Tartari albi puri ———————— Libras tres.

Decoque in
Aquæ fontis ———————— Libris sexaginta

ad sufficientem dissolutionem: liquorem adhuc fervidum cola per filtrum laneum, & evapora ad apparentiam pelliculæ: pelliculam ipsam cochleari perforato collige, & supra chartam bibulam exsicca; sic perge ignem continuando, quoad non amplius pellicula appareat. Vel, si ita lubeat, filtratum liquorem, ac ut supra evaporatum transfunde in vas ligneum, & in frigido loco repone: concrescent crystalli ad latera, quæ si minus fortasse puræ & candidæ evaserint, iterata solutione, & concretione opus erit.

Utralibet ratione paratus adhibetur promiscue: alvum mollit, ac primas vias leniter expurgat. Egregia etiam præstat in curatione hydropis.

DOSIS a Drachmis duabus ad Drachmas decem.

SACCHARUM CANDUM.

℞. Sacchari albi macri ———————— Libras decem.

Dissolve in sufficienti quantitate Aquæ fontis: clarificatum coque paullo ultra Syrupi consistentiam: immitte adhuc fervens in ollas terreas vitreatas, prius calefa-

lefactas: ollas in hypocausto repone per dies octo. Saccharum concrescet ad latera crystallorum forma, & crusta in summa parte formabitur, qua disrupta, Syrupum intus contentum effundes, Saccharum vero crystallisatum e vasis eximes, & leniter siccabis.

In raucedine ac tussi, ut reliqua e Saccharo præparata.

SACCHARUM LACTIS.

℞. Seri Lactis Vaccini, a quo caseus secundus sive recocta nondum fuerit extracta — quantum placet.

Clarificetur ex lege artis, & filtretur; deinde bulliat leniter in cucurbita, & evaporet ad apparentiam pelliculæ: reponatur in loco frigido; concrescet ad latera materies salina, subdulcis, Sal nempe essentialis, sive Saccharum Lactis.

Specifici loco commendatur ad podagricos affectus.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmas duas.

Minus recte alii totam Lactis substantiam instar Extracti ad ignem densari jubent: sic enim non salina tantum, sed etiam caseosa lactis pars in massam subflavam concrescit, a Saccharo Lactis legitime parato longe diversam.

SAL ESSENTIALIS ACETOSÆ.

℞. Succi Acetosæ ex arte clarificati, aut aliter optime depurati — quantum placet.

Coque igne lento ad Julapii dilutioris consistentiam.

Inde in cucurbitam vitream, oleo desuper affuso ad lineæ altitudinem: repone vas in cella frigida per aliquot menses: concrescent circa fundum glebulæ vel crystalli salinæ, quas effuso per inclinationem succo separabis, & aqua frigida celeriter ablutas siccabis ad usum.

Ex aliis herbis simili ratione parentur Sales Essentiales: E. G.

Sal Essentialis Beccabungæ.
Sal Essentialis Nasturtii aquatici.
Sal Essentialis Taraxaci.
Sal Essentialis Cichorii. &c.

quæ si minus succulentæ fuerint, affusione aquæ puræ succus diluatur. Quædam succum habentes nimio plus viscosum fermentatione aliqua indigent: at ex multis Sal Essentialis vix ullo artificio erui potest; quales sunt aromaticæ, & oleo abundantes pleræque. Qui autem putant affusione Olei essentialis, vel Spiritus herbæ cujusque ad proprium Salem fixum lixivialem, artificiose produci Salem Essentialem haud dubie falluntur.

Variam habent indolem Sales Essentiales pro varietate plantarum: alii nitrosi sunt, alii aluminosi, alii vitriolici, alii diversi generis; plerique tamen subacidi. Ad obstructiones solvendas, & chronicos morbos curandos imprimis commendantur.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Drachmam dimidiam.

SALES FIXI LIXIVIALES.

SAL FIXUS ABSINTHII.

℞. Abſinthii cum floribus collecti, & in umbra ſiccati — faſciculos quot volueris.

Incende per vices ſuper aream mundam, & aperto igne redige in cinerem: hunc in olla non vitreata calcinabis, rudicula ferrea agitando, donec totus albeſcat, & nihil amplius. Calcinato decuplum aquæ ferventis affunde, ac digere per horas XXIV. ut omnis ſalſedo extrahatur. Lixivium filtratum evapora ad pelliculæ apparentiam: repone in loco frigido: concreſcent ad vaſis latera glebulæ ſalinæ cryſtallinæ, quas calore ignis leniter exſiccatas ad uſum ſervabis. E lixivio reſiduo evaporato Salem rurſus colligere poteris, ſed cinerei caloris, & qui aeris humiditate facile reſolvatur.

Eadem ratione ex aliis herbis Sales Fixi parari poſſunt: E. G.

Sal Fixus Agrimoniæ.
Sal Fixus Artemiſiæ.
Sal Fixus Anonidis.
Sal Fixus Cardui Benedicti.
Sal Fixus Centaurii minoris.
Sal Fixus Ligni Juniperi.
Sal Fixus Tamariſci.
Sal Fixus ſtipitum Fabarum. &c.

Sales

Sales ita parati alkalini ſunt omnes, hinc ad vim acidorum infringendam idonei: conveniunt in morbis a lentore, mucoſa pituita, & alimentorum aceſcentia productis. Interim ſuarum herbarum naturam & facultates non retinent.

DOSIS a Granis ſex ad Grana triginta.

SAL FIXUS ABSINTHII
METHODO TACHENIANA.

℞. Abſinthii ut ſupra collecti & ſiccati
— quantum placet.

Uſtuletur in ſartagine ferrea cooperta, igne per gradus aucto, quoad vertatur in carbonem nigrum. Immitte novam herbam per vices in ſartaginem, quæ ſic aperta maneat, ut impedito aeris ingreſſu flamma non accendatur: ita perge dum herbæ ſic ambuſtæ ſufficientem habeas quantitatem. Sublata lamina, maneat ſartago aperta ſupra ignem: herba uſtulata incipiet igniri: hanc virga ferrea perpetuo movebis, ne in flammam erumpat: vertetur paullatim in cinerem ſubalbidum; quem adhuc ſupra ignem per horam relinques, ſemper agitando, dum penitus albeſcat. Cineri ſic parato decuplum aquæ bullientis affundes, & lixivium extrahes, quod filtratum ad ſiccitatem evaporabis: remanebit maſſa ſalina, quam in crucibulo candenti liquefactam ſupra tabulam marmoream projicies. Erit Sal Tachenianus, quem ſi adhuc puriorem deſideres, rurſus aqua diſſolves, & evaporabis ad pelliculam, ut fiat ex lege artis cryſtalliſatio.

Possunt ex aliis herbis eadem methodo simillimi Sales comparari.

Mitiores fere sunt, quam Sales fixi vulgari methodo parati. In obstructionibus reserandis, excretionibus promovendis, sudore in primis & urina, effectus præstant egregios: nocent in putrida humorum alkalescentia.

DOSIS a Granis quatuor ad Drachmam unam.

SAL ABSINTHII FIXUS
CUM SULPHURE.

℞. Cineris Absinthii ———————— Libram unam:

Sulphuris pulverisati ———————— Uncias tres.

Calcinentur simul forti reverberii igne per horas aliquot, dum sulphuris odor prorsus evanuerit. Calcinatis decuplum aquæ ferventis affunde, lixivium filtratum evapora ad pelliculæ apparentiam, & in loco frigido repone. Salem habebis candidum, siccum, & qui ab aere prorsus non dissolvetur.

Eadem ratione ex quamplurimis herbis supra recensitis Sales Fixi vulgo parari solent.

Sales isti ob mistionem acidi Sulphuris vix amplius alkalini, sed medii, ac Tartaro Vitriolato affines, diuretici quidem sunt ac deobstruentes; ad retundenda vero acida minus apti. Interim sic parati in plerisque officinis prostant, quod Medicinam apud nos facientes animadvertant.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Drachmam dimidiam.

Non

Non sunt audiendi qui docent Sales fixos herbarum methodo a nobis descripta, ac sine ulla Sulphuris additione paratos prohiberi non posse quin deliquescant; cum experientia contrarium ostendat: modo ne justo major adhibita fuerit calcinatio, neque evaporetur lixivium ad siccitatem; sed primæ crystallisationis glebulæ seorsum, ut par est, ab reliquis asserventur.

SAL TARTARI FIXUS ALKALINUS.

℞. Tartari albi ———————— quantum placet.

Calcinetur igne reverberii, & fiat lixivium sive Oleum Tartari per deliquium. Oleum hoc evaporetur ad siccitatem: remanebit Sal alkalinus fixus acerrimus, in vase vitreo rite obturato servandus. Est enim siccitatis prorsus impatiens, & facillime humore aeris attracto, rursus in lixivium sive Oleum deliquescit.

Sal pariter & Oleum alkalina sunt omnium valentissima: acida citissime destruunt, & liquorum consistentiam solvunt: pro corrigendis aliis medicamentis, & ad varia Chemicorum opera sæpissime adhibentur.

SAL TARTARI FIXUS CUM SULPHURE.

℞. Tartari albi ———————— Libram unam:

Sulphuris ———————— Uncias tres.

Pulverisata simul calcinentur forti reverberii igne

per

per plures horas, donec ſulphuris odor omnino evaneſcat: maſſæ calcinatæ affunde Aquæ ferventis decuplum; lixivium filtratum evapora ad ſiccitatem. Salem habebis, quem rurſus aqua diſſolves; ſolutionem vero ad pelliculæ apparentiam evaporabis, ac in loco frigido repones ad cryſtalliſationem.

Sal Tartari ita paratus ſiccus quidem evadit, ſed ob admiſſum Sulphuris acidum alkalinam indolem deponit, fitque verus ſal medius Tartaro Vitriolato natura & viribus congener; ceterum ſiccis pulveribus vix aliter quam ſub hac forma miſceri patitur. Errant qui eo utuntur in medicamentis, & chemicis diſſolutionibus, in quibus ut menſtruum vere alkalinum requiritur.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Drachmam dimidiam.

NITRUM FIXUM ALKALISATUM.

℞. Nitri depurati ———————— quantum placet.

Liquefiat in crucibulo igne per gradus aucto: liquefacto carbonem accenſum immitte, qui cum ſtrepitu & flamma brevi conſumetur. Injice rurſus alium carbonem: contingent omnia ut prius: ſic perge donec injectus carbo non amplius cum impetu deflagret, ſed in liquato Nitro quaſi cavernulam imprimat: continuato igne tantiſper, maſſa in crucibulo erit fixa, acerrima, quæ refrigerata ſponte liqueſcet ab humiditate aeris. Sic habebitur Liquor Nitri fixi, qui ad ſiccitatem evaporatus Salem præbebit fixum, alkalinum, a Sale Tartari non multum diſſimilem.

Ad eadem valent ad quæ Sal, & Oleum Tartari per deliquium.

SALES COMPOSITI, ET ARTIFICIALES.

TARTARUS SOLUBILIS.

℞. Cremoris Tartari pulverisati — Libram unam;
Aquæ fontis ——— Libras decem.

Decoque in vase stanno obducto, quoad Cremor Tartari dissolvatur. Instilla guttatim ex alto
Olei Tartari per deliquium — quantum sufficit;

tamdiu pergens dum instillatæ Olei Tartari guttæ non amplius effervescentiam suscitent. Liquorem adhuc fervidum filtra per pannum laneum, & evapora ad apparentiam pelliculæ. Repositum in frigore dabit crystallos salinas, ad latera vasis concrescentes, quas ad usum leniter siccabis.

Sunt qui Cremoris Tartari uncias octo, Salis Tartari alkalini uncias quatuor aqua fervida simul dissolvant, solutionem evaporent, & sic Tartarum solubilem comparent: non tamen æque certi sunt, verum se attigisse punctum saturationis utriusque salis.

Alvum solvit, detergit, ac sine molestia purgat.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas sex.

Si loco Olei Tartari per deliquium Lixivium adhibeas Salis Alkali Vitriariorum, Salem habebis gallice dictum *Sel de Seignette.*

TAR-

TARTARUS VITRIOLATUS.

℞. Olei Tartari per deliquium —— quantum placet;
Spiritus Vitrioli fortioris ——— quantum sufficit.

Oleo Tartari in amplam phialam immisso, instilla guttatim Spiritum Vitrioli: effervescentia ingens suscitabitur: perge donec instillata Spiritus Vitrioli gutta nullam ebullitionem excitet; quod erit perfectæ saturationis indicium. Liquorem affusione aquæ fervidæ dilue, filtra, & evapora in vitro ad pelliculam; repone vas in loco frigido: crystallisabitur ad latera Sal candidus, quem siccatum usui servabis.

Deobstruens est longe efficacissimum: ad suppressionem mensium, cachexiam, hepatis ac lienis infarctus cum successu adhibetur.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Drachmam dimidiam.

Non legitima est methodus eorum, qui Salem Tartari cum Sulphure, ut ajunt, fixatum Spiritu Vitrioli affuso semel nutriri volunt, & ad Solem exsiccari. Sal enim Tartari acido Sulphuris antea imbutus, præterquam quod sulphurei inquinamenti aliquid retinet, accessione Spiritus Vitrioli aciditatem justo majorem, & alkalinæ indoli prævalentem adipiscitur.

SAL POLYCHRESTUS.

℞. Nitri depurati,
Florum Sulphuris, ——— ana Partes Æquales.

Misceantur exacte; pulvis injiciatur exigua portio-

ne per vices in crucibulum a circumposito igne candefactum: deflagrabit injecta portio celeriter singulis vicibus, & remanebit in fundo massa cinerea. Hanc solve aqua ferventi: solutionem filtra per chartam: evapora ad apparentiam pelliculæ, & repone in loco frigido: habebis Salem albissimum, quem ad usum servabis.

Ad obstructiones, ac febres intermittentes.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Drachmam dimidiam.

SAL DE DUOBUS MYNSICHT

SIVE

ARCANUM DUPLICATUM.

℞. Capitis mortui ab extractione Aquæ Fortis residui
— Libram unam.

Diluatur libris decem Aquæ ferventis: bulliant ad consumptionem tertiæ partis: solutio filtrata evaporetur ad siccitatem. Salem habebis candidum, quem per horas XII. igne reverberii calcinatum iterum solves, iterumque exsiccabis: repetita calcinatione rursus eum in aqua dissolves, & filtratum liquorem evaporabis ad apparentiam pelliculæ, ut fiat ex arte crystallisatio.

Ejusdem naturæ est Sal residuus ab extractione Spiritus Nitri methodo Glauberiana, & proprie dicitur Nitrum Vitriolatum.

Arcanum duplicatum, Nitrum Vitriolatum, & Sal Polychrestus nomine magis quam re inter se differunt.

Diu-

Diuretica ſunt omnia, diaphoretica, & paullo copioſius aſſumpta alvum movent.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Drachmam dimidiam.

SAL MIRABILIS
GLAUBERI.

Emergit ab extractione Spiritus Salis Marini methodo Glauberiana.

Similis cenſetur Sali Cathartico Anglico: alvum ſolvit, & urinam pellit, externe admotus a gangræna, ac putredine defendit.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Drachmam dimidiam.

SAL DIGESTIVUS
SYLVII.

Fit ex maſſa ſalina, quæ poſt Spiritum Salis Ammoniaci extractum ope Salis Tartari remanet in fundo cucurbitæ; cui ſi fervidam aquam affuderis, & filtratam ſolutionem evaporaveris ad pelliculam, concreſcent cryſtalli cubicæ ſimiles Sali Marino, quas, ſi libuerit, ſervabis titulo Salis Digeſtivi, vel Salis Febrifugi.

Uſus in febribus intermittentibus.

DOSIS a Granis octo ad Grana triginta.

SPIRITUS SALIS COAGULATUS MYNSICHT.

℞. Salis Absinthii, vel alterius vegetabilis legitime parati — quantum placet:

Spiritus Salis Marini ——— quantum sufficit.

Affunde guttatim Spiritum Salis supra Salem Absinthii, quoad cesset omnis effervescentia: adde etiam aliquantulum de Spiritu Salis, ut prævaleat aciditas: sic parata massa salina ad usum servetur.

Obstructiones hepatis ac lienis reserat, diureticum est satis efficax, & in hydrope habetur pro specifico.

DOSIS a Granis sex ad Grana quindecim.

SAL CORALLIORUM.

℞. Dissolutionis sive Tincturæ Coralliorum Aceto stillatitio paratæ — quantum placet.

Evapora leni calore in vase vitreo ad siccitatem: remanebit in fundo Sal Coralliorum dictus, quem ad usum servabis.

Adstringendi ac roborandi vi præstare creditur.

DOSIS ad Granis quinque ad Grana quindecim.

Eadem ratione parentur

Sal Margaritarum.
Sal Matris Perlarum.
Sal Oculorum Cancrorum. &c.

SALES SEMIVOLATILES.

SAL SEDATIVUS HOMBERGII.

℞. Boracis nativæ ſubtil. pulveriſatæ – Uncias quatuor.

Immitte in retortam vitream, & affunde
Aquæ puræ ————————— Unciam ſemis;

ut maſſa inſtar paſtæ mollioris humectetur: dein ſuperadde
Olei Vitrioli ——————— Drachmas decem.

Colloca retortam in reverberii furnulo, & ignem auge per gradus: prodibit phlegma in excipulum; flores deinde ſalini candidi paullatim ſublimabuntur, & collo retortæ adhæreſcent, ejuſque cavum implebunt. Abſoluta operatione, flores ejuſmodi diligenter collectos ſeorſum aſſerva, titulo Salis Sedativi ſublimati. Maſſam in retortæ fundo reſiduam Aqua pura diſſolve, ac filtratam evapora; addito etiam phlegmate, quod initio prodiit ex retorta: cryſtalliſabitur Sal nonnihil fixus, ejuſdem tamen naturæ ac Sal Sedativus ſemivolatilis antea deſcriptus. Quin etiam Borace aqua diſſoluta, ac juſta Olei Vitrioli addita portione, ſolius cryſtalliſationis ope confici poteſt Sal Sedativus.

Ad violentas febrium acceſſiones ſedandas commendatur, unde nomen.

***DOSIS** a Granis quatuor ad Grana quindecim.*

Si

Si Vitrioli Romani unciæ quatuor, Boracis unciæ duæ Aqua pura ſolvantur, miſtæque ſolutiones, ob ſedimenti cujuſdam ſubflavi præcipitationem filtratæ, indantur in cucurbitam; deinde inſtituatur diſtillatio; maſſa in fundo relicta, adhibito liquore per diſtillationem extracto, vel aqua diluatur, rurſuſque filtrata ſolutio diſtilletur; iterata pluries ac pluries operatione, portio aliqua Salis Sedativi hac etiam ratione ſublimari dicitur; qui tamen operis proceſſus minus legitimus habetur.

FLORES SALIS AMMONIACI.

℞. Salis Ammoniaci,
Marini, ———— ana Partes Æquales.

Pulveriſati ſeorſum, poſtea commiſti immittantur in ollam vel cucurbitam terream, cujus ori capitellum cæcum aptetur, juncturis obſeratis. Subjice ignem initio lentum, quem poſtea ad tertium gradum ſenſim augebis: ſublimati flores capitello adhærebunt, quos refrigeratis vaſis colliges, & ad uſum ſervabis.

In febribus intermittentibus cum fructu adhibentur: incidunt, attenuant, obſtructiones reſerant, urinam ac ſudores cient.

DOSIS a Granis quatuor ad Grana quindecim.

Si loco Salis Marini Limaturam Ferri adhibueris, habebis Flores Salis Ammoniaci Martiales, ſi Lapidem Hæmatitem, erunt Flores Salis Ammoniaci Hæmatitici.

SALES VOLATILES.

SAL VOLATILIS AMMONIACUS.

℞. Salis Ammoniaci ——————— Libram unam:
Tartari alkalini ——————— Libras duas.

Redige utrumque seorsum in pulverem, quem siccissimum immittes in cucurbitam vitream: misce, & affunde
Spiritus Vini rectificati ——— Uncias quatuor.

Digere per horas XII. distilla igne lento: Spiritus Vini prodibit in excipulum; Sal autem Volatilis capitello copiosus hærebit, quem refrigeratis vasis auferes, ac in phiala obturata diligenter recondes.

In extractione Spiritus Salis Ammoniaci per Alkali fixum hujus ejusdem Salis portio colligitur.

Odore acutissimo, ac summe penetrabili animi defectibus præsens auxilium affert.

SAL VOLATILIS AROMATICUS OLEOSUS.

℞. Salis Volatilis Ammoniaci ——— Uncias duas:
Olei Essentialis Rorismarini, vel alterius cujuslibet aromatici — Drachmam unam.

Misceantur exacte in cucurbita vitrea; deinde instituatur sublimatio ex lege artis, arenæ calore. Ascendet Sal Volatilis candidus, odore aromatico imbutus, quem ad usum servabis.

Ita Sales Volatiles ex variis plantarum Essentiis conficere poteris pro arbitrio.

Conveniunt cum reliquis Salibus Volatilibus urinosis; ratione autem Olei Essentialis adjuncti singulares iis adscribuntur vires, cephalicæ, cardiacæ, anthystericæ. Naribus utiliter admoventur in lipothymia & animi defectibus; quem in finem vulgo in crystallinis vasculis, aut limpidissimo e vitro confectis gestari solent.

SAL VOLATILIS CORNU CERVI.

Producitur unica operatione cum Spiritu & Oleo Cornu Cervi: ita etiam in extractione suorum Spirituum & Oleorum conjunctim prodeunt

Sal Volatilis Viperæ.
Sal Volatilis Cranii Humani.
Sal Volatilis Sanguinis Humani.
Sal Volatilis Capillorum.
Sal Volatilis Urinæ.
Sal Volatilis Fuliginis &c. V. pag. 362. 363.

qui si inquinatiores fuerint, nova sublimatione in matracio vitreo, cæco capitello instructo, arenæ calore instituta, ex arte rectificentur ac depurentur.

Partes omnes Animalium, Vegetabilia omnia pu-

trescentia, quædam etiam ex his non putrescentia, pari ratione tractata ut Cornu Cervi, copiosum suppeditant Salem Volatilem.

Sunt omnes alkalini, rodentes, acerrimi, de natura earum rerum, ex quibus eliciuntur, instar Salium aliorum elementalium nihil retinent. Conveniunt aquosis, acidis, austeris humorum morbis, & torpori languido nervosi generis; affectionibus etiam hypochondriacis, hystericis, & aliis ab irregulari spirituum influxu productis.

DOSIS a Granis quatuor ad Grana octo.

SAL VOLATILIS SUCCINI.

Emergit ex eadem operatione, quæ adhibetur ad extrahendum Spiritum & Oleum Succini. Est autem purus, quantum fieri potest, colligendus: hic enim vix ulla rectificatio adhiberi potest, quæ haud modicam Salis partem disperderet.

Inter Sales Volatiles solus est acidus, modo fuerit sincerus, non Salis Ammoniaci, aut Cornu Cervi, vel alterius animalis substantiæ mistione adulteratus. Diureticorum, & anthystericorum princeps habetur.

DOSIS a Granis quatuor ad Grana duodecim.

Spiritus acidus distillatione e Succino productus, si ab Oleo rite depuratus lenissimo calore evaporetur, Salem relinquit paullo fixiorem, ejusdem tamen indolis cum Sale volatili Succini, V. pag. 387.

CONCRETA SALINA.

TERRA FOLIATA TARTARI
SIVE
TARTARUS REGENERATUS.

℞. Salis Tartari alkalini ſicciſſimi — Unciam unam.

Immitte in cucurbitam vitream, & ſine mora affunde

Aceti diſtillati acerrimi ——— Uncias quatuor.

Applicato capitello, diſtilla ad ſiccitatem: liquor inſipidus prodibit, quem ut inutilem projicies: materiæ reſiduæ eandem Aceti ſtillatitii quantitatem ſuperadde; rurſus diſtilla ut ſupra; & ita procede, donec Acetum æque acidum prolicias a diſtillatione ac fuerat antea. Maſſam in fundo relictam diſſolve in

Spiritus Vini ———— quantitate ſufficienti.

Filtra, & evapora ad ſiccitatem: ſolutionem & evaporationem repete, quoad ſicca & foliacea materies evadat; quæ tamen ſua ſponte facile iterum in oleoſum liquorem ſolvetur.

Egregium cenſetur digeſtivum in humoribus craſſis attenuandis & incidendis; calidis æque ac frigidis morbis convenit.

DOSIS a Granis ſex ad Grana viginti.

LA-

LAPIS MEDICAMENTOSUS
CROLLII.

℞. Vitrioli viridis ——————— Libram unam:
albi ——————— Libram ſemis:
Aluminis ——————— Libram unam & ſemis:
Salis marini,
Fellis ſive Salis Vitri, ——— ana Uncias tres:
Salis Tartari,
Abſinthii,
Artemiſiæ,
Cichorii,
Perſicariæ,
Plantaginis, ——— ana Unciam ſemis:
Aceti Roſati ——————— Libras duas.

Coque omnia ſimul lento igne in olla vitreata, ſpathula ferrea agitando: ubi denſari cœperit materies, adde
Ceruſſæ ——————— Uncias ſex.
Boli Armenæ ——————— Uncias quatuor.

Diligenter miſce omnia, donec igne mediocri in lapidis duritiem maſſa concreſcat.

Ulcera maligna & venerea mundificat, dentes confirmat, & gingivas a putredine defendit.

Quinque Salium fixorum loco unicum Salem Abſinthii, vel alium quemlibet vegetabilem, ratione ponderis omnium ſervata, ſubſtituere tuto potes.

LA-

LAPIS DIVINUS
Codicis Parisiensis.

℞. Vitrioli Cyprii,
Aluminis,
Nitri, ——————— ana Drachmas sex.

Pulverisata omnia, & rite commista in vase idoneo liquefiant arenæ calore; liquefactis adde
Camphoræ ——————— Drachmas duas.

Refrigerata massa usui servetur.

Usus in oculorum ulcusculis & lacrymatione.

LAPIS CAUSTICUS.

℞. Cineris Quercus ad albedinem calcinati
— Libras tres;
Calcis vivæ recentis ——————— Libram unam.

Superpone Cinerem Calci in vase idoneo, ita ut Calx omnino tecta sit: vas linteo cooperi, quoad materies incipiat findi ac dehiscere; affunde
Aquæ ferventis ——————— Libras sexdecim.

Bulliant simul, & fiat lixivium, quod filtratum evaporetur ad siccitatem. Materia in crucibulo igne reverberii liquefiat instar ceræ; projiciatur supra tabulam marmoream, & ante refrigerationem secetur in partes justæ magnitudinis; quæ in vase optime clauso, & loco sicco ad usum serventur.

Chirurgis usitatissimus est ad cauteria potentialia.

GLO-

GLOBULI AD FONTICULOS


SINE DOLORIS SENSU APERIENDOS.

℞. Aquæ Fortis ſive Stygiæ ——— Drachmas duas:
Opii Thebaici ——————— Grana quatuor.

Diſſolvatur Opium in Aqua Forti, ea cura adhibita, ut, dum diſſolutio peragitur, noxius vapor inde erumpens caute vitetur. Globulus deinde e ſpongioſo Fici aut Hederæ ligno formatus, ea magnitudine, qua ſunt uſitati ad fonticulos, immittatur in Aquam Fortem, addito Opio, ſic præparatam; atque in ea detineatur per horas XII. Eductus præſenti uſui mox deſtinetur.

Globulus ejuſmodi ad partem apertam corporis, quæ opportunior viſa fuerit, applicitus, & cerati cujuſvis quaſi aggere circumſeptus, ut firmus maneat, ſine ullo fere doloris morſu eſcharam ſuſcitat. Tum poſtea curatio eadem adhibenda, quæ in cauteriis igne actuali factis.

Fici arboris lignum, utpote rarius ac ſpongioſius, hederaceo recte anteponitur.



S A.

SALES EXCOCTI ET CALCINATI.

SAL PRUNELLÆ
ALITER
CRYSTALLUS MINERALIS.

℞. Nitri puriſſimi ———————— Libram unam:

Florum Sulphuris ———————— Unciam ſemis.

Liquefacto Nitro in olla terrea Flores Sulphuris per vices injice, quoad penitus deflagraverint: maſſam adhuc fluentem ſupra tabulam marmoream projice, vel totam ſimul, vel guttatim lenticularum forma, prout libuerit.

In acutis & inflammatoriis morbis præſcribitur, inſtar Nitri ſimplicis: anginæ & aliis faucium morbis efficaciter ſuccurrit.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Drachmam unam.

ALUMEN USTUM.

℞. Aluminis rupei ———————— quantum placet.

Calcinetur igne aperto in olla non vitreata, quæ pro majori parte remaneat vacua: ſenſim liquefactum tumefiet, & in maſſam albam, levem, & rarefactam mutabitur, quam in uſum ſervabis.

Adhibetur a Chirurgis ad carnes ſuperfluas & fungoſas conſumendas.

VI.

VITRIOLUM CALCINATUM.

℞. Vitrioli viridis ————————— quantum placet.

Imple ex eo ollam terream, eamque in foco ſtatue: Vitriolum liquabitur. Bulliat ad conſumptionem humiditatis. Maſſam habebis ex albo ſubviridem, quam uſui repones; eſt Vitriolum calcinatum ad albedinem.

Ad extractionem Spiritus, & alia chemica opera requiritur. Chalcitidis legitimæ loco uſurpatur in compoſitione Theriacæ.

Commodiſſime etiam ad albedinem calcinatur, & in pulverem reſolvitur Vitriolum, ſi æſtivo tempore Solis radiis diu maneat expoſitum.

VITRIOLUM RUBIFICATUM
SIVE COLCOTHAR.

℞. Vitrioli calcinati ad albedinem
— quantum placet.

Tractetur igne reverberii, dum colorem acquirat obſcure rubentem. Eſt etiam verum Colcothar id quod remanet in retorta ab extractione Spiritus & Olei Vitrioli.

Extrinſecus adhibetur in hæmorrhagiis pro adſtringenti; itemque in Cerato Diapalma veræ Chalcitidis loco.

SECTIO VII.

QUÆ EST DE FLORIBUS MAGISTERIIS FÆCULIS ET CALCIBUS.

FLORES SULPHURIS.

℞. Sulphuris communis contriti — quantum placet.

Immitte in cucurbitam ad quartæ circiter partis repletionem: huic aptentur aludeles terrei plures non vitreati, juncturis undique obſeratis, exiguo dumtaxat ſpiramine in ſummo relicto. Subjiciatur ignis ſenſim augendus, & continuandus per aliquot horas, ut Sulphur maneat liquefactum. Sublimabuntur intra cavum aludelium Flores, abſoluta operatione colligendi.

Internis renum ac pulmonum ulceribus medentur, attenuant, calefaciunt, ſiccant. Diaphoretici etiam cenſentur, & alexipharmaci.

DOSIS a Granis ſex ad Scrupulum unum.

FLORES BENZOINI.

℞. Benzoini crassiuscule contriti — quantum placet.

Immitte in ollam terream, cui loco capitelli cucullum chartaceum prælongum aptabis, ex omni parte clausum: ollam blando igne calefacies, ut Flores nivei sublimentur, quos identidem mutato cucullo diligenter auferes, ignem continuando, donec flavi coloris ascendere incipiant.

Balsamica virtute pollent, ad asthma, & reliquos pulmonis affectus egregiæ utilitatis.

DOSIS a Granis sex ad Scrupulum unum.

MAGISTERIUM SIVE RESINA JALAPPÆ.

℞. Jalappæ ———————— quantum placet.

Trituratæ affunde

Spiritus Vini rectificati ——— quantum sufficit

ad supereminentiam quatuor digitorum: fiat digestio per aliquot dies in loco calido, ut extrahatur Tinctura; qua separata, rursus novum Spiritum Vini affunde, & ita perge quoad omnem Tincturam extraxeris. Liquores simul confunde, & abstrahe Spiritum Vini ope distillationis in Balneo Arenæ, ut quarta pars remaneat in cucurbita. Huic plurimum aquæ frigidæ

 affun-

affunde, & sine ut quiescat per triduum. Subsidebit Magisterium resinosum, quod pluries ablutum in umbra siccabis.

Purgandi vim habet, sed tormina & hypercatharses non raro excitat: evacuantibus aliis adjungitur pro stimulo.

DOSIS a Granis tribus ad Grana decem.

Eadem ratione parentur

Magisterium Mechoacannæ.
Magisterium Agarici.
Magisterium Scammonii.
Magisterium Gummi Guttæ.

quorum idem fere est usus, eademque dosis ac Magisterii Jalappæ.

MAGISTERIUM LIGNI GUAJACI.

℞. Ligni Guajaci minute concisi — quantum placet.
Spiritus Vini ——————— quantum sufficit.

Eadem ratione procedant omnia, ut in Magisterio Jalappæ.

Calefacit, siccat, sudores movet, frigidis affectionibus convenit.

DOSIS a Granis decem ad Grana triginta.

MAGISTERIUM CHINÆ CHINÆ.

℞. Chinæ Chinæ optimæ ——— quantum placet.

Trituratæ affunde

Spiritus Vini rectificati ——— quod ſatis fuerit.

Digere per dies aliquot in cucurbita vitrea moderato calore, ad extractionem Tincturæ; qua ſepoſita novum Spiritum Vini affunde, iterum, tertio, aut pluries, dum nihil amplius elici videas. Ex Tincturis omnibus ſimul junctis Spiritum extrahe ope diſtillationis. Quod ſupererit aperto igne leniter evapora. Sic Magiſterium Chinæ Chinæ, ſive Extractum obtinebis reſinoſum.

Opportunitates habet eximias in febribus intermittentibus, tum maxime, cum ipſius corticis ſubſtantia, commode exhiberi nequit.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Drachmam dimidiam.

MAGISTERIUM SIVE BUTYRUM
SULPHURIS.

℞. Florum Sulphuris ——— Uncias quatuor:

Salis Tartari alkalini ——— Libram unam,

Miſtis affunde

Aquæ communis ——— Libras octo.

Bulliant in olla terrea vitreata, donec liquor rubeſcat: filtrato inſtilla

Ace-

Aceti diſtillati ———————— quantum ſufficit.

Turbabitur liquor, & pulviſculus præcipitabitur, quem aqua pluries ablues, ut a graveolentia liberetur, & in umbra ſiccabis.

In morbis pulmonum, præſertim aſthmate ac phthiſi, & quidem efficacius quam Flores Sulphuris, valere exiſtimatur.

DOSIS a Granis ſex ad Grana ſexdecim.

MAGISTERIUM CORNU CERVI.

℞. Cornu Cervi calcinati ———— quantum placet.

Immitte in matracium vitreum, & affunde
Aceti diſtillati ———————— quantum ſufficit.

Fiet diſſolutio cum levi ebullitione, & Acetum dulcificabitur: ſolutioni filtratæ paullatim inſtilla
Olei Tartari per deliquium — quantum ſufficit.

Opacabitur liquor, lacteſcet, & pulvis albiſſimus ſubſidebit, quem aqua pura pluries ablutum leniter ſiccabis ad uſum.

Habetur pro ſudorifero & alexipharmaco, inſtar Cornu Cervi crudi.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

MAGISTERIUM CORALLIORUM.

℞. Coralliorum rubrorum ——— quantum placet:

Aceti diſtillati ———— quantum ſufficit.

Facta, ut artis eſt, diſſolutione in matracio vitreo, Acetum dulcificatum digere arenæ calore per triduum: filtrato affunde

Olei Tartari per deliquium

— quantitatem ſufficientem.

Habebis ut ſupra Magiſterium abluendum pluries, & ſiccandum.

Eodem ordine procedes ad Magiſteria e conſimilibus ſubſtantiis paranda: E. G.

Magiſterium Margaritarum.
Magiſterium Matris Perlarum.
Magiſterium Oculorum Cancrorum.
Magiſterium Oſſis Sepiæ.
Magiſterium Lapidum Percarum.
Magiſterium Corticum Ovorum.
Magiſterium Oſteocollæ. &c.

Ad acida in primis viis hærentia abſorbenda vel dulcificanda indiſcriminatim adhiberi poſſunt Magiſteria proxime deſcripta; licet minus efficacia quam ipſa Corallia, Margaritæ, Oculi Cancrorum, & ejuſmodi alia, ſive Teſtacea ſive Lapides, merito exiſtimentur.

MA-

MAGISTERIUM CORALLIORUM ROSATUM MYNSICHT.

℞. Rosarum rubrarum ———————— Unciam unam:
Aceti distillati —————————— Libras quatuor.

Digere ad extractionem Tincturæ: Aceto filtrato immitte
Coralliorum rubrorum ——— quantum sufficit,
ut penitus dulcificetur. Solutioni instilla
Spiritus Vitrioli ———————— quantum satis.

Præcipitabitur pulvisculus subruber, quem, effuso per inclinationem liquore, sine ulla ablutione in umbra siccatum, ad usum servabis.

Celebratur ut cardiacum, roborans, & anthystericum.

DOSIS a Granis duobus ad Grana sex.

FÆCULA RADICUM ARI.

℞. Succi radicum Ari recentium per torcular expressi — quantum placet.

Repositus in catino vitreato quiescat per triduum: subsidebit pulvisculus albus, farinaceus, quem a liquore per inclinationem separatum ablues aqua dulci, & siccabis leniter ad usum.

Incidit, & attenuat crassos ac viscidos humores.

DOSIS a Granis sex ad Grana viginti.

FÆCULA RADICUM BRYONIÆ.

Eadem ratione paretur, ac Fæcula radicum Ari.

Uteri morbis prodeſt, menſes ciet, ſed non citra nauſeam ſumitur.

DOSIS a Granis ſex ad Grana viginti.

PULVIS STEGNOTICUS
SIVE
ÆTHIOPS VEGETABILIS.

℞. Opii crudi ——————————— quantum placet.

In ſartagine terrea vitreata ſuperponatur igni mediocri, ac perpetuo agitetur, Vinum album identidem aſpergendo, quoad ceſſet fumus. Removeatur poſtea ab igne, pulveriſetur, rurſuſque in ſartagine repoſitum torrefiat, cum Vini albi irroratione, donec perfecte ſiccatum Opium dimidiam partem amiſerit priſtini ponderis. Pulveriſetur denuo ſubtiliter, ſubigatur cum Aceto fortiſſimo, ac lento igne ſiccetur: ultimo fiat Pulvis in uſum ſervandus.

Ad ſupprimendas hæmorrhagias, & ad profluvia quælibet præter naturam ſiſtenda efficaciter pollet.

DOSIS a Granis quatuor ad Grana quindecim.

ÆTHIOPS VEGETABILIS
EX LAUDANO.

℞. Magma, sive Fæcem ab extractione ac filtratione Laudani liquidi Sydenhamii residuam.

In sartagine vitreata igni mediocri imponatur, & assidue agitetur, ut leviter torrefiat. Redigatur postea in pulverem, rursusque, moderato igne adhibito, continuetur torrefactio, usque dum tertia pars amissa fuerit pristini ponderis. Ultimo fiat pulvis subtilis, cum Aceto fortissimo subigendus, & ad ignem leniter siccandus.

Ad hæmoptysim, ceterasque sanguinis eruptiones, itemque alvi, & uteri profluvia vulgari Æthiope Vegetabili sæpe opportunior habetur.

DOSIS a Granis VIII. *ad Grana* XXIV.

SCAMMONIUM SULPHURATUM.

℞. Scammonii minute contriti —— quantum placet.

Extende supra chartam bibulam, ac detine supra incensi Sulphuris vaporem, assidue agitando, usque dum albescere vel liquescere incipiat. Sic præparatum redige in pulverem.

Usurpatur vulgo ad conficiendum Pulverem Cornacchinum.

DOSIS a Granis quatuor ad Grana quindecim.

SPE-

SPECIFICUM AD HÆMORRHAGIAS HELVETII.

℞. Aluminis crudi ——————— Uncias duas:
Sanguinis Draconis ————— Unciam ſemis.

Alumini ad ignem liquefacto injiciatur Sanguis Draconis ſubtiliter pulveriſatus. Priuſquam maſſa ſolideſcat, fiant pilulæ piſi magnitudine.

Ad ſanguinis eruptiones, præſertim a pulmonibus.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

CORNU CERVI USTUM.

℞. Cornu Cervi in fruſta diffracti — quantum placet:

Combure intra ollam fictilem in fornace ad perfectam albedinem, tere & mole ſupra lapidem porphyritem, Aquam Roſaceam identidem inſtillando. Ex maſſa perfecte lævigata fiant paſtilli in umbra ſiccandi.

Adſtringit & acida abſorbet: commendatur etiam ut anthelminthicum.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

EBUR USTUM
VULGO
SPODIUM EX EBORE.

℞. Eboris frusta ——————————— quot volueris.

Calcinentur eodem modo, ac lævigentur, ut supra dictum est de Cornu Cervino.

In locum veri ac legitimi Arabum Spodii, quod his temporibus in Europam non affertur, jamdiu successit; eoque nomine in multis compositis medicamentis usurpatur.

Cranium quoque Humanum, & osseæ aliæ Animalium partes simili ratione exuruntur & calcinantur.

CORNU CERVI
PHILOSOPHICE PRÆPARATUM.

℞. Cornuum Cervinorum apices —— quot volueris.

Suspendantur intra capitellum, & juxta collum aheni distillatorii, quo tempore ex herbis potissimum cardiacis Aquæ eliciuntur: paullatim ita mollescent, ut absoluta distillatione a cortice exteriori facile mundari, ac in pulverem redigi possint.

In febribus continuis & acutis, ut blandum diaphoreticum exhibetur, instar Cornu Cervi crudi.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam unam.

MA-

MAGNESIA ALBA.

℞. Aquæ Matris Nitri, ſive Lixivii Nitrariorum a cryſtalliſatione ejus Salis reſidui — quantum placet.

Evapora ad ſiccitatem: maſſam reſiduam in olla vitreata reverbera, dum fluat inſtar aquæ: refrigeratam diſſolve aqua fervida, & pluries ablue, donec dulcificetur: pulverem habebis impalpabilem, quem exſiccatum uſui ſervabis.

Commendatur in ſtomachi vitiis, acida corrigit, & alvum leniter ſubducit.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas duas.

TERRA EXANIMATA VITRIOLI.

℞. Vitrioli Romani rubificati —— quantum placet.

Abluatur aqua fervida pluries, donec ſalſedinem prorſus amittat: exſiccata maſſa rubri coloris in uſum ſervetur.

Accedit ad indolem Croci Martis adſtrictivi.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Scrupulum unum.



Sublimationes, Magiſteria, & Calces Metallorum in proximam Sectionem rejiciuntur.

SECTIO VIII.

QUÆ EST

DE

MEDICAMENTIS METALLICIS.

MEDICAMENTA EX AURO.

TINCTURA AURI.

℞. Auri puriſſimi foliati —— Drachmam ſemis:
Aquæ Regiæ —————————— Uncias duas.

Digere ſimul in phiala vitrea, ut Aurum penitus diſſolvatur: ſolutioni affunde
Olei eſſentialis Roriſmarini —— Unciam unam.

Liquores agitando ſimul confunde, poſtea ſine ut quieſcant: ſubſidebit Aqua Regia, ſupernatabit Oleum Auro imprægnatum: huic ab Aqua Regia rite ſeparato admiſce
Spiritus Vini dephlegmati —— Uncias quinque.

Digere in loco tepido per menſem, & uſui ſerva.

Præ-

Prædicantur ejus vires, ut cardiacæ, & alexipharmacæ.

DOSIS a Guttis quatuor ad Guttas duodecim.

AURUM FULMINANS.

℞. Auri limati ——————— Drachmam unam.
Inde in matracium vitreum, & affunde
Aquæ Regiæ rectificatæ ———— Unciam femis.

Digere in arena: folvetur Aurum paullatim, & fi aliqua portio infoluta remaneat, decantata folutione, rurfus Aquæ Regiæ quantitatem fufficientem fuperadde. Solutionibus fimul miftis decuplum aquæ pluviæ calentis affunde, poftea guttatim inftilla
Olei Tartari per deliquium —— quantum fatis.

Præcipitabitur Aurum pulveris fpecie, quem fæpius ablues aqua tepida, donec infipidus evadat.

Purgat per alvum, & aliquando fudores movet: funt etiam qui ut cardiacum deprædicent; prudentiores vero admonent illius ufum periculo non vacare.

DOSIS a Granis tribus ad Grana quinque.

AURUM BALSAMICUM.

℞. Auri Fulminantis ————— Drachmam unam:
Olei Cinnamomi —————— Unciam femis.

Digere igne leniffimo per triduum in phiala vitrea, & in ufum ferva.

Præfcribitur a quibufdam ad compofitionem Pulveris Hannoveriani, qui tamen aliter apud nos parari folet.

PRÆ-

MEDICAMENTA EX ARGENTO.

TINCTURA LUNÆ.

℞. Argenti puri ——————— Uncias duas:
Spiritus Nitri ——————— Uncias ſex.

Spiritum Nitri immitte in cucurbitam vitream, deinde Argentum paullatim, & per vices: ſolvetur Argentum cum efferveſcentia, qua ſedata, liquorem digere aliquantiſper calore arenæ, ut fiat ſolutio perfecta. Huic affunde
Muriæ Salis Marini filtratæ — quantum ſufficit.

Præcipitabitur Argentum albi pulveris forma. Liquore per inclinationem ſeparato, pulverem ſæpius ablue aqua pura, donec penitus dulceſcat, leniterque ſiccatum immitte in matracium, & adde
Salis Volatilis Urinæ ———— Unciam unam:
Spiritus Vini Tartariſati ———— Libras duas.

Matracium occlude, collum ipſius in alterius matracii inverſi collum inſerendo, & commiſſuras apte conglutinando: deinde in fimo aut ſimili calore digere per dies quindecim: extrahetur Tinctura, quam filtratam in vaſe optime clauſo ad uſum ſervabis. Pulvis in phiala relictus eſt Argenti calx, quæ metallurgicis artificiis non magno negotio revivificari poteſt.

Epilepticis, maniacis, apoplecticis, & aliis cerebro male affecto laborantibus prodeſſe creditur.

DOSIS a Guttis ſex ad Guttas ſexdecim.

CRY-

CRYSTALLI LUNARES.

℞. Argenti cupellati & limati ——— Uncias tres:
Spiritus Nitri ——————— Uncias novem.

Fiat diſſolutio in matracio vitreo: liquor ſupra cineres calidos evaporetur ad quartæ partis conſumptionem: reponatur in loco frigido. Concreſcent ad latera Cryſtalli ſalinæ candicantes; quibus ablatis, reſiduum ſolutionis iterum evaporetur, & ſic pergatur, donec omne Argentum Salis formam induerit.

Cauſticæ ſunt & eſcharoticæ: aqua dilutæ purgandi vim habent; potiſſimus vero earum uſus eſt ad conficiendum Lapidem Infernalem.

DOSIS a Grano uno ad Grana quatuor.

LAPIS INFERNALIS.

℞. Salis Argenti, ſive Cryſtallorum Lunæ
— quantum placet.

Immitte in crucibulum amplum, circumpoſito igne primum mediocri: tumeſcet initio materia, poſtea deprimetur: aucto igne liqueſcet inſtar Olei: projice in modulum ferreum cavum prius calefactum, & oleo inunctum; concreſcet maſſa fere inſtar Lapidis, quam ſtatim, priuſquam frigeſcat, e modulo exemptam in vaſe optime clauſo ad uſum ſervabis.

Calloſas ulcerum excreſcentias abſumit, cauſticam vim habet validiorem quam Cryſtalli Lunares, & ad fonticulos excitandos cauterii potentialis loco adhiberi poteſt.

MEDICAMENTA EX CUPRO.

TINCTURA CUPRI PER ALKALI VOLATILE.

BOERHAAVE.

℞. Cupri limati ———————— Drachmam unam:

Spiritus Salis Ammoniaci per alkali fixum parati — Unciam unam & ſemis.

Digere in phiala clauſa leni calore, & ſæpius interim concute, dum extrahatur Tinctura cærulea, qua effuſa novum Spiritum ſuperadde, & ſic perge, dum omnis fere Cupri ſubſtantia fuerit diſſoluta.

Aperit, attenuat, calefacit, urinam potenter movet; interno uſu minus ſecura, ut reliqua e Cupro medicamenta.

DOSIS a Guttis III. *ad Guttas* XXIV.

SPIRITUS ASTHMATICUS

MICHAELIS.

℞. Viridis Æris ————————— Uncias ſeptem:

Gummi Ammoniaci ———— Uncias quatuor:

Sulphuris ————— Unciam unam & ſemis.

Pulveriſata omnia, ac rite commiſta diſtilla ex retorta vitrea arenæ calore. Abſoluta operatione, ab Oleo craſſiore liquor tenuior ſeparetur, ac iterata diſtillatione rectificetur ex lege artis.

In

In affectibus pectoris ab humorum viſciditate ortis commendatur.

DOSIS a Guttis quinque ad Guttas viginti.

SAL VENERIS.

℞. Viridis Æris ———————— quantum placet:

Aceti diſtillati ———————— quantum ſufficit.

Digere in phiala arenæ calore per triduum: Acetum tingetur cæruleo colore: hoc per effuſionem ſeparato, novum immitte, & ſic perge, donec nihil amplius extrahatur cæruleæ tincturæ. Solutiones omnes filtratas evapora ad medietatem: ubi repoſueris in loco frigido, cryſtalli concreſcent cæruleæ; erunt Sal Veneris, vulgo etiam Viride Æternum.

Externe adhibetur ad ulcera calloſa & ſordida.

ENS VENERIS.

℞. Vitrioli Veneris, ideſt Cyprii, optime calcinati ac loti — Uncias duas:

Salis Ammoniaci ———————— Uncias quatuor.

Miſceantur exacte, ac inſtituatur ſublimatio. Flores ſubflavi iterum ac tertio ſupra proprium ſedimentum cohobentur; erunt ultimo ſublimati Ens Veneris.

Commendatur ad rachitidem, & gonorrhœam inveteratam.

DOSIS a Grano uno ad Grana ſex.

MEDICAMENTA EX FERRO.

TINCTURA MARTIS PER VINUM BOERHAAVE.

℞. Limaturæ Martis non rubiginosæ — Uncias duas:
Vini generosi —————————— Libras duas.

Digere per triduum in phiala vitrea arenæ calore, sæpe vas concutiendo: post quietem horarum XXIV. filtretur Tinctura.

In viscerum debilitate, obstructione, suppressione mensium, & chlorosi egregium affert auxilium.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

TINCTURA MARTIS PER MUSTUM.

℞. Limaturæ Martis —————————— Uncias tres:
Musti non fermentati ————— Libras duas.

Digere in phiala vitrea ad Solem, donec Mustum nigrum colorem induerit.

Eadem ratione fiant
Tinctura Martis per Succum Pomorum.
Tinctura Martis per Succum Granatorum. &c.

quarum usus & dosis cum prima supra enunciata propemodum conveniunt.

TINCTURA MARTIS TARTARISATA

LEMERY.

℞. Martis in tenuem rubiginem conversi — Libram unam:

Tartari crudi purissimi ———— Libras duas:

Aquæ pluviæ ———— Libras duodecim.

Coque in cacabo ferreo per horas duodecim, spathula ferrea agitando, & aquam fervidam, ubi opus fuerit, affundendo. Filtratum liquorem ad remanentiam circiter librarum duarum evapora.

Inveteratis obstructionibus, cachexiæ, hydropi, ac mensium retentioni opem præstat.

DOSIS a Drachma una ad Unciam dimidiam.

TINCTURA MARTIS ADSTRINGENS

BOERHAAVE.

℞. Limaturæ Martis ———— Uncias tres:

Aceti distillati acerrimi ———— Uncias viginti.

Digere in phiala vitrea arenæ calore per horas XXIV. sedata ebullitione habebitur Tinctura rubri coloris, quæ colata ad usum servetur.

Adstringit, roborat, menses ac hæmorrhoides nimium fluentes sistit.

DOSIS a Guttis x. ad Guttas xxxx.

SPUMA MARTIS RIVERII.

℞. Limaturæ Martis ————————— Libram ſemis:

Immitte in cucurbitam vitream, & affunde
Vini albi generoſi ——— Libram unam & ſemis.

Ferveant leni calore, & interim agitentur, dum ſpuma ſurſum feratur: hanc ſimul cum Vino transfer in aliud vas, ac novum Vinum affunde eadem menſura: fiant omnia ut ſupra: idem repete tertia & quarta vice. Vinum cum ſpuma ex quatuor ebullitionibus ſeparatum lento igne evapora ad melleam ſpiſſitudinem.

Ad hepatis, & aliorum viſcerum obſtructiones reſolvendas.

DOSIS ad Cochlear unum.

EXTRACTUM MARTIS APERITIVUM

Mynsicht.

℞. Succi depurati Acetoſæ ——————— Libras tres:

Tamarindorum recentium ————— Uncias octo.

Macerentur ſimul per horas ſex, & poſt lenem ebullitionem fiat colatura; cui clarificatæ & filtratæ immitte
Limaturæ Martis ————————— Uncias quatuor.

Digere per triduum in arena: poſtea filtratam Tincturam ad Extracti conſiſtentiam leni calore evapora.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

EXTRACTUM MARTIS APERITIVUM

Lemery.

℞. Martis in rubiginem roris ope conversi — Uncias octo:

Affunde
Hydromelitis ——————————— Libras tres:
Musti ——————————— Libras quatuor:
Succi Limonum ——————— Uncias quatuor.

Digere in olla ferrea clausa blando calore per triduum; postea leniter coque, ollam identidem aperiendo, & fundum spathula agitando, ad extractionem Tincturæ: liquorem nigri coloris filtratum leni calore redige ad consistentiam Extracti.

DOSIS a Scrupulo uno ad Scrupulos duos.

MARS SOLUBILIS.

℞. Limaturæ Martis præparatæ —— quantum placet:
Tartari albi subtiliter pulverisati —— duplum.

In cucurbita vitrea rite permistis affunde Vinum generosum ad unius digiti supereminentiam: digere ad Solem, vel in Balneo Maris ad siccitatem. Pulverisatæ massæ portionem Vini iterum affunde, & iterum exsicca: hæc omnia toties repete, donec massa fiat quasi resinosa. Ex hac formentur pastilli seu globuli mediocris pyri magnitudine.

Usus ad parandas ex tempore Solutiones Martiales.

SAL

SAL SIVE VITRIOLUM MARTIS.

℞. Limaturæ Martis recenter paratæ — Uncias octo.

Immitte in cucurbitam vitream, & affunde
Aquæ Fontis ———————————— Libras duas.

Paullo post instilla per vices
Spiritus Vitrioli ———————— Libram unam.

Dissolvetur Ferrum cum effervescentia, qua sedata, liquorem digere in arena per horas XXIV. filtratum deinde evapora ad apparentiam pelliculæ: repone in loco frigido, & habebis Crystallos virides, quas in usum leniter siccabis.

Aperit, urinas movet, fibras roborat, lumbricos necat, multisque chronicis morbis opitulatur.

DOSIS a Granis quatuor ad Grana duodecim.

SAL ABSINTHII CHALYBEATUS.

℞. Lixivii Salis Absinthii ——— quantum placet.

Evaporet in patella ferrea, ea lege, ut, affusione aquæ pluviæ sæpius repetita, ab exsiccatione diu prohibeatur. Ubi Lixivium tinctura Ferri sufficienter imbutum ex colore subrubro apparuerit, ad consumptionem humiditatis evaporatio perducatur.

Obstructiones lienis ac hepatis tollit, fœdisque virginum coloribus conducit.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Drachmam dimidiam.

FLO-

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES.

℞. Salis Ammoniaci,
Limaturæ Martis, ——— ana Partes Æquales.

Instituatur sublimatio, ut in Floribus Salis Ammoniaci simplicibus.

Efficaciores sunt quam simplices ad reserandas obstructiones.

DOSIS a Granis quatuor ad Grana quindecim.

MARS DIAPHORETICUS.

℞. Florum Salis Ammoniaci Martialium
— quantum placet.

In sufficienti quantitate Aquæ fontis dissolutis guttatim instilla
Olei Tartari per deliquium — quantum sufficit,

quoad non amplius dissolutio turbetur. Præcipitabitur Ferri substantia pulveris tenuissimi specie, quem pluries ablutum, & in umbra siccatum ad usum servabis.

Sudores, & aliquando urinas movet; hinc febribus quartanis, & affectionibus hypochondriacis remedium.

DOSIS a Granis decem ad Grana viginti.

CROCUS MARTIS APERITIVUS.

℞. Limaturæ Martis ——————— Libram ſemis:

Sulphuris pulveriſati, ——————— Libras duas.

Affuſa ſufficienti quantitate Aquæ communis, fiat paſta mollis, quæ in olla non vitreata per aliquot horas fermenteſcat. Statuatur olla in foco acriter incenſo: miſtura inceſſanter agitetur virga ferrea, ut Sulphur totum deflagret: urgeatur ignis, & maſſa rurſus per duas horas agitetur, dum e nigra evadat rubra ſeu ferme purpurea: refrigerata ad uſum ſervetur.

Ad obſtructiones viſcerum, ac menſium ſuppreſſionem.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Scrupulum unum.

CROCUS MARTIS ADSTRINGENS.

℞. Limaturæ Martis ——————— quantum placet.

Digere cum Aceto acerrimo tamdiu, dum fiat liquoris exſiccatio. Reſiduum ab exſiccatione novo Aceto conſperge ac ſubige, ut fiat paſta; deinde iterum exſicca. Affuſionem atque exſiccationem pluries repete, donec tota in rubiginem verſa fuerit limatura, ac nullæ amplius particulæ ſplendentes appareant, nulluſque ſtridor ſub dentibus perſentiatur.

Ad alvi fluxus, & hæmorrhagias compeſcendas.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Scrupulum unum.

MEDICAMENTA E STANNO.

SAL JOVIS.

℞. Stanni calcinati ———————— Unciam unam:
Aceti diſtillati ———————— Uncias ſex.

Digere in cucurbita per triduum: filtratam Tincturam evapora ad duas tertias, & in frigido loco repone ad cryſtallisationem: reſiduum liquorem rurſus evapora, ut novæ cryſtalli concreſcant.

Anthyſtericis annumeratur; ſed interno uſu minus ſecurus: externe ad herpetes, & alios cutaneos affectus curandos commendatur.

DOSIS a Granis tribus ad Grana decem.

CALX STANNI.

℞. Stanni Anglici ———————— quantum placet.

Liquefactum in patella terrea non vitreata ſupra ignem vehementem rudicula ferrea ſine intermiſſione agitetur, dum abeat in pulverem; qui adhuc per duas horas calcinetur ad albedinem.

Ad Salem Jovis conficiendum, & alias chemicas elaborationes.

MEDICAMENTA EX PLUMBO.

ACETUM SATURNINUM
VULGO
TINCTURA SATURNI.

℞. Ceruſſæ ——————— Uncias quatuor:
Aceti diſtillati ——————— Uncias viginti.

Digere in phiala vitrea per triduum, identidem agitando. Acetum dulcificabitur; idque filtratum ad uſum ſervetur.

Externe uſurpatur ad herpetes, & alia cutis vitia tollenda.

SAL SATURNI
ALITER
SACCHARUM SATURNI.

℞. Aceti Saturnini ——————— quantum placet.

Evapora in cucurbita vitrea ampla & humili, donec liquor denſiuſculus appareat: repone vas in loco frigido: poſt octo dies Salem habebis e ſpiculis tenuibus concretum, quem leni calore ſiccabis. Effuſo liquore, per novam evaporationem, quod Salis reliquum eſt obtinebis.

Ex-

Externe inflammationibus, eryſipelati, & oculorum affectibus ſuccurrit; repellit, refrigerat, & adſtringit: interne raro & circumſpecte adhibendus.

DOSIS a Granis quatuor ad Grana decem.

MAGISTERIUM SATURNI.

℞. Salis Saturni ——————— quantum placet.

Diſſolve in
Aceti diſtillati,
Aquæ puræ, ——— ana quantitate ſufficienti.

Solutioni affunde
Olei Tartari per deliquium —— quantum ſatis.

Magiſterium habebis candidiſſimum, quod ſæpius ablues, & in umbra ſiccabis.

Numeratur inter coſmetica.

BALSAMUM SATURNI.

℞. Salis Saturni ——————— quantum placet.

Immitte in matracium vitreum, & affunde
Olei ætherei Terebinthinæ —— quantum ſufficit

ad quatuor digitorum ſupereminentiam: digere in arena, donec rubra extrahatur Tinctura: liquorem decanta, & reſiduæ materiæ novum Oleum affunde: digere ut ſupra. Decantatum liquorem miſce cum primo, & in cucurbita vitrea ad medietatem evapora.

Mundificandis, & ad cicatricem ducendis ulceribus externe applicitum conducit.

B U-

BUTYRUM SATURNI.

℞. Aceti Saturnini,
Olei Rosati, ———————— ana Partes Æquales.

Affundatur sensim Acetum Oleo Rosato in mortariolo plumbeo, incessanter agitando, donec mistura justam Unguenti nutriti consistentiam acquirat.

Ad herpetes aliasque cutis erosiones, nec non etiam ad hæmorrhoides.

LAC VIRGINALE.

℞. Solutionis Aluminis Aqua Nymphææ paratæ,
Aceti Saturnini, ———————— ana Partes Æquales.

Misce usus tempore: erit mistura Lac Virginale.

Ad faciem dealbandam, cutisque aspredines tollendas.

PLUMBUM USTUM CUM SULPHURE.

℞. Plumbi ———————————— Libram unam.

Liquefacto in patella ferrea vel crucibulo adde
Sulphuris ———————————— Libram semis.

Mistura flagrans virga ferrea assidue agitetur: consumpto Sulphure, in calcem nigram Plumbum abibit.

Usus pro variis unguentis.

ME-

MEDICAMENTA EX MERCURIO.

AMALGAMA MERCURII CUM PLUMBO.

℞. Mercurii vivi ————————— Uncias quatuor.

Calefiat in crucibulo modico igne: calefacto affunde Plumbi in alio crucibulo liquefacti
— Unciam unam.

Agitentur ſpathula lignea ad perfectam miſtionem: habebitur Amalgama in proprios uſus adhibendum.

Miſcetur unguentis quibuſdam ac linimentis mercurialibus.

Simili ratione cum Stanno Amalgama conficitur.

Ex Auro & Argento ut fiat Amalgama, Metallum utrumque in foliola ductum tenuiſſima, cum vivo Mercurio in mortariolo vitreo probe conteritur & commiſcetur.

Cupri ſcobs tenuiſſima & ſicciſſima cum Argento vivo calefacto, ſimili modo contrita, in Amalgama, licet paullo laborioſius, redigitur. Obtinetur autem ſcobs ejuſmodi ſubtiliſſima, ſi Cuprum Aqua Forti ſolvatur ad ſaturationem: ſolutioni vero Aqua pura dilutæ immittantur laminæ ferreæ politæ, ſic enim Cuprum tenuiſſimi pulveris forma præcipitatur.

ÆTHIOPS

ÆTHIOPS MINERALIS.

℞. Florum Sulphuris,
Mercurii puriſſimi, ——— ana Partes Æquales.

Terantur ſimul in mortario marmoreo, dum Mercurius prorſus evaneſcat, & maſſa atri coloris remaneat.

Vermes necat, gonorrhœæ virulentæ opem præſtat.

DOSIS a Granis tribus ad Grana decem.

CINNABARIS FACTITIA.

℞. Sulphuris ——————————— Libram unam.

Liquefacto in olla terrea ad lentum ignem ſenſim affunde
Mercurii vivi calefacti ——————— Libras tres.

Agita inceſſanter ſpathula lignea, dum fiat perfecta miſtio. Ollam tigillo coopertam ab igne remove ut frigeſcat: maſſam habebis nigram. Hanc in pulverem redige, & retortæ loricatæ immitte, quæ ad duas tertias vacua remaneat, juncturis firmiter conglutinatis. Statue retortam in furnulo, & ignem ſubjice per gradus ad ſummum uſque: ubi ſex horas perſeveraveris ceſſet ignis. Refrigeratis omnibus in ambitu interno colli retortæ maſſam compactam, ponderoſam, obſcure rubram invenies: erit Cinnabaris factitia, quæ ſupra marmor lævigata coccineo colore fulgebit.

Antiepileptica virtus Cinnabari tribuitur.

DOSIS a Granis quatuor ad Grana decem.

MER-

MERCURIUS REVIVIFICATUS
E CINNABARI.

℞. Cinnabaris factitiæ ——————— Libram unam:
Calcis vivæ ————————————— Libras tres.

Pulverisentur, misceantur exacte, ac impleatur ex ipsis retorta loricata ad duas tertias, quæ in furnulo reverberii collocetur, aptato recipiente aqua propemodum repleto: maneant per diem naturalem. Subjiciatur ignis per omnes gradus augendus. Mercurius vivus in aquam exstillabit. Ultimo quum nihil amplius prodit, ignem subtrahe: refrigeratis vasis, Mercurium aqua pura ablutum, linteisque mundis siccatum in usum repone.

Mercurius sic depuratus vulgari, qui sæpe inquinatior est, ad medicos potissimum usus anteponendus.

CINNABARIS ANTIMONII.

Emergit ex eadem operatione, qua etiam paratur Butyrum Antimonii. Coagmentatur autem ex Mercurio, qui sublimatus misturam illam ingreditur, & ex Antimonii Sulphure.

Ad epilepsiam, & alios spasmodicos affectus sedandos, etiam in malignis febribus.

DOSIS a Granis tribus ad Grana duodecim.

PANACEA CINNABARINA
SIVE
MERCURIUS DIAPHORETICUS
THOMPSON.

℞. Mercurii vivi ——————————— Libras duas:
Sulphuris ———————————— Libras quatuor:
Salis Ammoniaci ————————— Libram unam.

Misceantur exacte in mortario vitreo, donec evanescat Mercurius. Immitte misturam in cucurbitam capacem, superposito capitello: subjice ignem lentum per horas tres, quem gradatim per sex horas augebis, ut cucurbitæ fundus candescat: sublimabitur fuligo subnigra. Refrigeratis vasis, & cucurbita diffracta, massam in fundo relictam cum fuligine supradicta simul conteres, rursusque sublimabis: contingent omnia ut supra. Operationem duodecies aut pluries repetes, usque dum materiem in fundo relictam habeas coloris prorsus rubri: erit Mercurius Diaphoreticus, sive Panacea Cinnabarina. Flores seu fuliginem ultimæ sublimationis ut inutilem projicies.

GonorrhϾ virulentæ, ac reliquis venereis morbis efficaciter medetur, vel blandam salivationem, vel sudorem excitando.

DOSIS a Granis sex ad Grana sexdecim.

MERCURIUS SUBLIMATUS.

℞. Mercurii puriſſimi ———————— Libram ſemis.

Immitte in matracium aut phialam vitream, & affunde
Aquæ Fortis ——————————— Uncias octo.

Colloca matracium in arena calente: diſſolvetur Mercurius cum ebullitione. Diſſolutionem in cucurbita vitrea lento igne evapora: maſſam habebis albi coloris: huic in pulverem ſubtiliter redactæ admiſce
Salis Marini pulveriſati,
Vitrioli ad albedinem calcinati & pulveriſati,
— ana Uncias decem.

Sit pulvis ſubtilis ex omnibus exacte permiſtus: hunc in matracium amplioris fundi triplo capacius immitte, quod dimidia ſui parte in arena mergatur, nullo impoſito capitello: ſubjiciatur ignis leniſſimus, ſenſim ſenſimque per minutos gradus augendus: erumpent vapores, quos ut noxios caute vitabis. His ceſſantibus matracii os charta impoſita, occludes, ignem vero augebis, ut exterior olla candeſcat: ſublimabitur Mercurius in maſſam ſalinam ad internum ambitum matracii. Poſt horas ſex ceſſante igne, vaſiſque refrigeratis confringatur matracium, & Sublimatum purius a leviori pulviſculo, ac fæcibus ſeparetur.

Venenum eſt præſentiſſimum, quod tamen minima doſi, ad quartam ſcilicet grani partem, Aqua multa aut Spiritu Vini dilutum, ex graviſſimorum Auctorum ſententia, ad luem veneream curandam adhiberi poſſit. Externus uſus tutior in Aqua Aluminoſa & Phagedænica.

MERCURIUS DULCIFICATUS.

℞. Mercurii Sublimati ——————— Uncias quatuor:

Argenti vivi ——————————— Uncias tres.

Simul diu terantur in mortario vitreo dum Mercurius vivus amplius non appareat: misturam in phialam vitream immitte; phialam vero apertam ad medietatem merge in arena, ac per varios ignis gradus sensim auctos sublimationem institue: omnia fere ut in Sublimati corrosivi elaboratione procedant. Sublimabitur ad interiorem vitri ambitum Mercurius dulcificatus candidus, quem, refrigerata ac diffracta phiala, diligenter eximes, rursusque per aliquot vices sublimabis, donec candidissimus, & omnis saporis expers evadat.

In gonorrhœa virulenta, aliisque affectibus a lue venerea pendentibus interne adhibetur, itemque ad vermes necandos.

DOSIS a Granis tribus ad Grana viginti.

PANACEA MERCURIALIS.

℞. Mercurii dulcificati ——————— quantum placet.

Sublimetur septies juxta regulam supra descriptam: post ultimam vero sublimationem lævigetur in porphyrite, & immittatur in cucurbitam vitream.

Affusa interim

Spiritus Vini rectificati —— quantitate sufficienti

ad

ad ſupereminentiam quatuor digitorum, maneat in digeſtione per dies quindecim, & ſpathula lignea identidem agitetur. Poſt effuſum Spiritum Vini, exſiccata maſſa, erit Panacea Mercurialis.

Exquiſitum habetur remedium in morbis venereis.

DOSIS à Granis ſex ad Scrupulum unum.

MUMIA MINERALIS
Poterii.

℞. Mercurii Sublimati ——————— Uncias octo:
Mercurii vivi ——————— Libram unam.

Terantur ſimul in mortario vitreo vel ligneo per dies octo, & abluantur aqua dulci, donec maſſa omnis ſaporis expers evadat.

Linimentis antivenereis adjungitur, ad calloſa ulcuſcula erodenda & exſiccanda.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS.

℞. Mercurii vivi ——————— Uncias quatuor.
Diſſolve ex arte in
Spiritus Nitri ——————— quantitate ſufficienti,

ut habeatur ſolutio quantum fieri poteſt ſaturatiſſima: poſtea ſume
Salis Marini ——————— Uncias duas:
Aquæ communis ——————— Libram unam.

Fiat

Fiat muria, quam solutioni præcedenti instillabis: Præcipitabitur Mercurius albi pulveris forma; ut vero absolvatur præcipitatio, rursus aquæ communis libram affunde. Quiescant omnia per noctem: effuso liquore candidum pulverem aqua pura sæpius ablues, leniterque siccatum in usum servabis.

Ad salivationem excitandam commendatur. Externo usu tutius & commodius usurpatur ad scabiem, & herpetes sanandos.

DOSIS a Granis tribus ad Grana sex.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS FLAVUS

SIVE

TURPETHUM MINERALE.

℞. Mercurii vivi ——————— Uncias sex.

Immitte in retortam vitream, & affunde
Olei Vitrioli ——————— Uncias sexdecim.

Statue retortam in arena calida, ut Mercurius penitus dissolvatur: ignem per gradus auge: humiditas omnis exstillabit. Urge ignem circa finem satis vehementer per horæ quadrantem. Refrigeratis omnibus massam albicantem e retorta exime, eique copiosam aquam affunde; præcipitabitur pulvis subflavus, quem iteratis lotionibus dulcificabis.

Purgat vehementer, ac vomitum movet: adhibetur in lue venerea ut reliqua mercurialia.

DOSIS a Granis duobus ad Grana sex.

MER-

MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER.

℞. Mercurii vivi ———————— quantum placet.

Diſſolvatur ex arte in Aquæ Fortis ſufficienti quantitate. Solutio evaporetur in phiala igne mediocri, vel diſtilletur in retorta vitrea ad ſiccitatem: erit maſſa alba, quæ igne ad tertium gradum aucto colorem ſenſim mutabit, ut poſtremo evadat ruberrima.

Chirurgi eo utuntur ut rodente & eſcharotico.

MEDICAMENTA EX ANTIMONIO.

REGULUS ANTIMONII.

℞. Antimonii crudi ———————— Uncias ſexdecim:
Tartari ———————————— Uncias duodecim:
Nitri —————————————— Uncias ſex.

Seorſum pulveriſata exacte commiſce. Sit præſto crucibulum amplum, candens in reverberii furnulo: injice Drachmas duas hujus miſturæ, quæ ſtatim cum detonatione & ſtrepitu flagrabit: poſtquam perfecte quieverit, tantundem miſturæ immitte, rurſuſque detonatio habebitur. Sic perge donec materiem crucibuli capacitati proportionatam injeceris: hoc animadvertens, ut perpetuo ſit candens crucibulum, ac ne materiem immittas priuſquam deflagratio præcedens omnino ſedata fuerit. Urge ignem tecto crucibulo,

ut

ut massa fluat instar aquæ: hanc in mortariolum ferreum siccissimum, sebo intus inunctum, celeriter effunde, ac mortariolum statim concute. Refrigescant omnia: massam e mortariolo exime: invenies Regulum metallicum in fundo, quem a circumjacentibus scoriis ictu mallei separabis.

Repetita fusione cum modica portione Nitri, purior evadet Regulus, stellam in superficie plerumque habens impressam.

Vasa ex eo conflantur, quæ vim emeticam vino conciliant: usurpatur item ad varias operationes chemicas.

REGULUS ANTIMONII MARTIALIS.

℞. Apicum clavorum, qui ad figendas Equorum soleas adhiberi solent — Uncias sex.

Immitte in crucibulum amplum, quod igne reverberii candescat: injice paullatim
Antimonii pulverisati sicci & calefacti — Libram unam.

Sit ignis vehemens, quo Ferrum pariter & Antimonium liquefiant: fluentibus adde
Nitri siccissimi & pulverisati ——— Uncias tres.

Liquescant omnia instar aquæ, & massa in mortariolum ferreum effundatur, servatis iisdem cautionibus, quæ in descriptione Reguli simplicis expositæ sunt. Regulum habebis Antimonii Martialem, ut sæpissime accidet, stellatum.

Ad Specificum Stomachicum, & alias chemicas elaborationes.

AN-

ANTIMONIUM HYACINTHINUM

SIVE

VITRUM ANTIMONII.

℞. Antimonii puriſſimi ſubtiliter pulveriſati — quantum placet.

In patella terrea non vitreata extenſum lento igni ſuperpone, ut fumos emittat, non autem fundatur. Materiem ſpathula ferrea inceſſanter agita, averſa facie, ut noxium fumum evites; quo ceſſante ignem gradatim augebis, ac ſi fumus iterum erumpat in eo gradu perſiſtes: quod ſi nimio calore in grumos concreſcat, redigantur iſti ſtatim in pulverem, & ignis minuatur; ſic paullatim in cinerem vel calcem Antimonium abibit. Maſſam in crucibulum inditam, operculo impoſito, igne per gradus ad ſummam vehementiam aucto reverberabis, donec liqueſcat. Retine ſic fuſam per horæ ſemiquadrantem, poſtea effunde ſupra tabulam marmoream ſiccam & calidam; concreſcet Vitrum pellucidum, ex rubro flavum, inſtar lapidis Hyacinthi.

Emeticum eſt violentiſſimum.

DOSIS a Grano uno ad Grana tria.

HEPAR ANTIMONII.

℞. Antimonii crudi,
Nitri depurati, ——————— ana Partes Æquales.

Separatim pulveriſata, poſtea rite commiſta in mortarium ferreum immitte. Carbonem ardentem miſturæ

admove: accendetur fere inſtar pulveris pyrii: mortarium operculo tege; ubi penitus deflagraverit, maſſa in fundo remanebit ſemivitrificata, hepatis colore, quam ad uſum ſervabis.

Ulceribus malignis & cacoethicis adhibetur: fitque ex eo Crocus vulgo dictus Metallorum.

CROCUS METALLORUM.

℞. Hepatis Antimonii ———————— Unciam unam.

Subtiliter pulveriſatum ablue pluries aqua tepida, donec penitus dulcificetur: erit pulvis leniter ſiccatus Crocus Metallorum.

Vomitum excitat, at minus potenter, quam Vitrum Antimonii.

DOSIS a Granis duobus ad Grana quatuor.

TARTARUS EMETICUS.

℞. Cremoris Tartari ———————— Uncias octo:

Hepatis Antimonii ———————— Uncias duas.

Decoque in Aquæ fontis libris duodecim, ſæpe agitando, donec Cremor Tartari fuerit perfecte diſſolutus: calidam ſolutionem filtra, ac leniter evapora, dum pellicula appareat. Repone in loco idoneo ad cryſtalliſationem.

Ad vomitionem ſuſcitandam vulgo uſurpatur.

DOSIS a Granis duobus ad Grana quatuor, & Grana ſex.

KER-

KERMES MINERALE.

℞. Antimonii minute confracti —— Libras quatuor:
Nitri fixi —————————— Libram unam:
Aquæ pluviæ —————————— Libras octo.

Bulliant simul per horas duas. Decoctum fervens per chartam bibulam filtra, & in quiete repone per horas XXIV. Subsidebit pulvis croceus tenuissimus, quem effuso per inclinationem liquore separabis, abluesque pluries aqua tepida, donec salsedinem amittat. Exsiccato convenientem portionem affunde Spiritus Vini rectificati, & flammam admove ut penitus deflagret: id ubi altera ac tertia vice peregeris, exsiccatum pulverem ad usum serva.

Pro varia humorum peccantium conditione modo vomitum, modo alvinas dejectiones provocat, modo etiam urinam ac diaphoresim excitat: incidendi quoque & attenuandi vi præstare creditur.

DOSIS a Grano uno ad Grana sex.

SULPHUR AURATUM ANTIMONII.

℞. Scoriarum Reguli Antimoni simplicis
— quantum placet.

Decoque in Aquæ communis quantitate sufficienti: decocto colato instilla
Aceti distillati —————— quantum satis.

Præcipitabitur pulvis ruber, quem per filtrationem a liquore ſeparatum ablues, & in umbra ſiccabis.

Communem habet emeticam vim cum aliis longe multis Antimonii præparationibus.

DOSIS a Granis duobus ad Grana ſex.

FLORES ANTIMONII.

℞. Antimonii crudi ex apice conorum deſumpti
— quantum placet.

In promptu ſit cucurbita ſublimatoria ad latus perforata, aludelibus & capitello inſtructa: collocetur in furnulo, juncturis apte obſeratis, ut ignis ardor fundum duntaxat calefacere poſſit, non autem ad ſuperiora aſcendere. His præparatis, ſubjiciatur ignis mediocris, & augeatur dum cucurbita ad fundum candeſcat. Immittatur per laterale foramen Antimonii pulveriſati cochlear: obturato foramine aſcendent Flores ad ſuperiores aludeles; quibus ceſſantibus, & igne in eadem vehementia perſeverante aliud rurſus cochlear intromitte: ſic perge uſque ad finem. Refrigeratis omnibus, in aludelibus & capitello Flores invenies niveos, quos in phiala vitrea ad uſum ſervabis.

Vomitoriam habent facultatem, eoque nomine ad epilepſiam & quartanas febres commendantur.

DOSIS a Granis duobus ad Grana quatuor.

FLO-

FLORES ANTIMONII MARTIALES

VULGO

NIX MARTIS.

℞. Reguli Antimonii Martialis pulverisati — quantum placet.

Immitte in ollam fictilem satis capacem: operculum in medio perforatum intra ollam colloca, ea ratione ut inter ipsum ac Reguli pulverem duorum transversorum digitorum spatium relinquatur. Altero deinde operculo ollam penitus occlude; eamque in mediis prunis ardentibus colloca: urge ignem satis vehementer: liquato Regulo, Flores sub inferiori operculo concrescent nivei, quos refrigeratis vasis colliges, & ad usum servabis.

Diaphoresim ac sudores movent; ad febres intermittentes, ante paroxismum exhibiti, plurimum commendantur.

DOSIS a Granis decem ad Grana triginta.

BUTYRUM, ET CINNABARIS ANTIMONII.

℞. Antimonii crudi ——————— Libras tres:

Mercurii sublimati ———— Libras quatuor.

Pulverisata seorsum exacte commisce, diu terendo in mortario marmoreo. Immitte in retortam vitream loricatam amplioris colli, quæ ad dimidias vacua rema-

maneat. Hanc in furnulo ſtatue, & recipiente applicato, ignem ſuccende primi gradus: liquor craſſus exſtillabit facile concreſcens, albicans inſtar Butyri, qui admota pruna ardente identidem ſolvatur, ne retortæ collum occludat, ſed intra cavum recipiens deſcendat: eſt Butyrum dictum Antimonii. Auge ignem donec vapores exeant rubri; tum vero amoto priori excipulo, novum ſubſtitue cum aliqua portione aquæ puræ: ignem urge ut candeſcat retorta, eundemque gradum ſuſtine per horas quatuor. Refrigeratis omnibus, in recipiente noviſſimo Mercurium vivum, & Butyrum impurius reperies; ad flexionem vero colli retortæ maſſam obſcure rubram ponderoſam, quam diligenter colliges, ac ſervabis titulo Cinnabaris Antimonii: in reliquo colli tractu varia materies aderit ex Butyro, Sulphure, & Mercurio vivo ſimul confuſis. Butyrum in primo recipiente collectum ſervetur in phiala ad uſum. Procedente tempore liqueſcet, neque amplius coagulabitur. In toto opere a fumis noxiis cavendum.

Butyrum Antimonii cauſticum eſt valentiſſimum, eoque Chirurgi non raro utuntur ad calloſas excreſcentias conſumendas. Adhibetur etiam ad conficiendum Pulverem Algarot, ac Bezoarticum Minerale.

Emergit Butyrum ex copula portionis regulinæ Antimonii cum acido Salis Marini, quod in Sublimato continebatur: Cinnabaris vero ex miſtione Sulphuris Antimonii cum Mercurio vivo, omnino ferme ut in elaboratione Cinnabaris factitiæ. V. pag. 448.

PUL-

PULVIS ALGAROT

IMPROPRIE

MERCURIUS VITÆ.

℞. Butyri Antimonii ———————— quantum placet.

Inſtilla paullatim in aquam puram: lacteſcet momento temporis, & pulvis candidus inſtar Magiſterii præcipitabitur: ſupernatabit liquor acidus, quem decantatum, & ad tertiæ partis remanentiam evaporatum ſervabis titulo Spiritus Vitrioli Philoſophici; quamvis revera ſit potius Spiritus Salis Marini. Magiſterium pluries ablutum, ac in umbra ſiccatum eſt Pulvis Algarot, ſive, ut ajunt, Mercurius Vitæ.

Emetica facultate indolem retinet Reguli Antimonii, a quo originem ducit.

DOSIS a Grano uno ad Grana quatuor.

BEZOARTICUM MINERALE.

℞. Butyri Antimonii ———————— Uncias duas.

Leni calore liquato in phiala vitreata guttatim inſtilla
Spiritus Nitri ———————— Uncias duas,

vel quantum ſatis eſt ad perfectam diſſolutionem, vapores ab efferveſcenti miſtura exhalantes ſollicite cavendo. Evaporetur liquor in cucurbita vitrea ad ſiccitatem: maſſa remanebit albi coloris, quam affuſa eadem Spiritus Nitri quantitate, rurſus digeres, rurſuſque evaporabis. Tertia vice hæc omnia perages, &

maſ-

massam ab ultima evaporatione relictam ignè reverberii per semihoram calcinabis, ut candidissima evadat.

Diaphoresim ac sudores movere existimatur, in acutis potissimum febribus ac perniciosis.

DOSIS a Granis quinque ad Grana quindecim.

STIBIUM SIVE ANTIMONIUM

Diaphoreticum.

℞. Antimonii selecti ———————— Libram unam:

Nitri purissimi ——————————— Libras tres.

Separatim pulverisata & commista immitte per vices in crucibulum vel ollam candentem, omnino ut in præparatione Reguli Antimonii, iisdem quoque cautionibus servatis. Violentissimo igne per duas horas adhibito, non liquescet materia, sed calcinabitur. Refrigeratæ sufficientem quantitatem aquæ calentis affunde, & per XII. horas sine ut quiescat: calx alba præcipitabitur, nitrosa vero salsedo in aqua dissolvetur. Hanc per inclinationem effusam seorsum asserva, calcem vero repetita ablutione dulcificatam leniter exsicca: erit Antimonium sive Stibium Diaphoreticum.

In acutis morbis crebro usurpatur ad insensibilem perspirationem excitandam, conservandam, augendam, sudoresque promovendos.

DOSIS a Granis sex ad Drachmam dimidiam.

NITRUM STIBIATUM.

Lotiones a dulcificatione Antimonii Diaphoretici relictas si omnes simul ad pelliculam evaporaveris, ut in crystallisatione Salium, postea in frigido loco reposueris, concrescet materies salina, quæ appellatur Nitrum Stibiatum.

Inflammatoriam sanguinis coagulationem dissolvit, urinam ac sudores movet, refrigerat; in variolis propterea, morbillis, pleuritide, aliisque acutis morbis utile.

DOSIS a Drachma dimidia ad Drachmam unam.

STIBIUM DIAPHORETICUM MARTIALE.

℞. Antimonii crudi pulverisati ——— Libram unam:
Limaturæ Martis præparatæ ——— Libram semis:
Nitri depurati ac pulverisati ——— Libras tres.

Deflagratio, & calcinatio eodem ordine procedant, ut in elaboratione Stibii Diaphoretici simplicis. Massa refrigerata diluatur aqua calenti, & trajiciatur per linteum rarioris texturæ: residebit calx subflava, quæ dulcificata & in umbra siccata ad usum servabitur.

Ad cachexiam, icterum, & scabiem perutile censetur.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad Scrupulum unum.

SPECIFICUM STOMACHICUM POTERII.

℞. Reguli Antimonii Martialis ——— Uncias tres:
Nitri purissimi ————— Uncias novem.

Eadem prorsus utere operandi ratione ac pro Stibio Diaphoretico, & Cerussa Antimonii.

Ad stomachi vitia cujusque generis corrigenda plurimum valere creditur.

DOSIS a Granis sex ad Grana viginti.

SPECIFICUM ANTIHECTICUM POTERII.

℞. Reguli Antimonii Martialis,
Stanni Anglici, ———— ana Partes Æquales.

Liquefactum utrumque simul in crucibulo funde in massam metallicam fragilem, cui pulverisatæ admisce
Nitri purissimi seorsum pulverisati —— triplum.

In reliquis eodem ordine procede ut in elaboratione Stibii Diaphoretici.

In lue venerea, obstructionibus uteri, ac reliquorum viscerum, inque hectica febre, ac macie incipiente commendatur.

DOSIS a Granis tribus ad Grana viginti.

TINCTURA ANTIMONII.

℞. Antimonii ſelecti, ex apicibus conorum deprompti — Uncias duas:

Liquoris Nitri fixi ————— Uncias decem.

Antimonio pulveriſato affunde Liquorem ſive Oleum Nitri fixi, ac digere leni calore, dum liquor Antimonio ſuperſtans rubri coloris evadat. Decantatum poſtea liquorem in matracium immitte anguſtioris colli, & adjice

Spiritus Vini ————————— tantundem.

Obturato matracio, digere iterum blando calore, donec Spiritus liquori ſupernatans rubro colore imbuatur. Hunc rite ſeparatum ad uſum recondes.

Maxima hujus Tincturæ commendatio olim fuit ad febres hecticas & quartanas, hydropem, luem veneream, epilepſiam, morboſque alios fere cujuslibet generis, in primis eos, qui diaphoreſi ac ſudore curari poſſunt.

DOSIS a Guttis quatuor ad Guttas viginti.

TINCTURA E SCORIIS ANTIMONII.

℞. Scoriarum a præparatione Reguli Antimonii relictarum ſuccinei coloris — Uncias duas:

Spiritus Vini rectificati ——— Uncias decem.

Digere in phiala vitrea balnei calore, dum liquor aureus fiat: filtratum ad uſum ſervabis.

Hypochondriacis, cachecticis, & scabiosis utiliter præscribitur.

DOSIS a Guttis quatuor ad Guttas viginti.

TINCTURA ANTIMONII REGULINA.

℞. Reguli Antimonii Martialis,
Nitri depurati, ———— ana Partes Æquales.

Redige in pulverem seorsum Regulum & Nitrum, dein commisce utrumque accurate, & injice in crucibulum ignitum per vices, ut in præparatione Antimonii Diaphoretici. Deflagrabit materia cum strepitu: ultimo massa supererit, quam horæ spatio reverberatam in mortario calido pulverisabis, & in cucurbitam vitream immittes. Hoc facto affunde
Spiritus Vini rectificatissimi ——— quantum satis

ad quatuor digitorum supereminentiam: digere per aliquot dies leni calore: Tinctura extrahetur Regulina dicta, quam filtratam ad usum servabis.

Ex duabus partibus hujus Tincturæ, & una Spiritus Cornu Cervi, fit Mistura Tonico-Nervina a Stahlio plurimum commendata ad viscera roboranda, eorumque tonum nimium debilitatum restituendum; in declinatione potissimum morborum chronicorum, & post graviores quascumque excretiones.

DOSIS Misturæ ad Guttas triginta in convenienti vehiculo.

APPENDIX
DE
VARIIS SIMPLICIUM PRÆPARATIONIBUS.

PRÆPARATIONES ANIMALIUM.

SANGUINIS HIRCINI
PRÆPARATIO.

HIrcus adultæ ætatis, boni habitus, nutriatur per quadraginta dies herbis diureticis ac lithontripticis; ut Petroſelino, Fœniculo, Saxifraga, & ſimilibus: juguletur diebus canicularibus. Effuſus Sanguis poſt coagulationem in partes ſcindatur, quæ ſupra cribrum extenſæ, ac linteo coopertæ in hypocauſto aut furno modice calefacto ſiccentur.

Haud fere diſſimili ratione aliorum quoque Animalium Sanguis, ubi opus fuerit, exſiccatus ad uſum præparetur.

ADIPUM ET MEDULLARUM

Præparatio.

Adipes, Axungiæ, Medullæ, & Pinguedines quælibet aqua pura ſæpius ablutæ, a ſanguine & pelliculis, ſi opus fuerit, repurgatæ liquentur in Balneo Maris, ac per linteum percolatæ in proprium vas recondantur, frigido loco ad annum ſervandæ.

OESYPI EXTRACTIO.

Lanæ ſuccidæ ex collo, axillis, & interfeminibus Ovium detonſæ, aqua fervida diluantur, & bacillo diu agitentur, ut pinguedinem in aqua deponant. Sepoſitis lanis, ac fortiter expreſſis, aqua pinguedine imbuta de vaſe in vas ex alto effundatur refundaturque, donec valde ſpumoſa fiat. Sedata ſpuma, auferatur pinguedo ſupernatans: aqua vero iterum effundatur & agitetur ad novam ſpumeſcentiam. Id toties fiat quoad ſeparata fuerit omnis pinguedo, quæ aqua ſæpius abluta, donec albeſcat, Oeſypum, & vulgo Iſopus humida appellatur.

PULMONIS VULPINI PRÆPARATIO.

Pulmo Vulpis recenter mactatæ, exemptis canaliculis omnibus arterioſis ac venoſis, vino odorato abluatur, & a ſanguine purgetur: in ollam inditus ſiccetur in furno modice calente: Abſinthio vel Ruta involutus recondatur.

Ea-

Eadem fere ratione membranaceæ & carnosæ Animalium partes præparentur.

LUMBRICORUM PRÆPARATIO.

Lumbrici terrestres Vino abluantur, donec omne inquinamentum deposuerint: siccati ad usum reponantur.

MILLEPEDUM PRÆPARATIO.

Millepedes sive Asellos Vino Malvatico ablutos exsicca in furno leviter calente: rursus Vino Malvatico imbue quantum fieri potest, & iterum exsicca. Hæc omnia repete tertia & quarta vice: ultimo exsiccatos redige in pulverem, & serva ad usum.

SERICI USTULATIO.

Folliculi Serici, ex quibus papiliones nondum enati fuerint, minute incidantur, exteriori lanugine abjecta. In ollam novam inditi ustulentur levissime, ut possint redigi in pulverem.

ALBI GRÆCI PRÆPARATIO.

Canis longo jejunio maceratus solis ossibus nutriatur per plures dies. Excrementa albi coloris supra lapidem lævigentur, & in pastillos fingantur.

CORTICUM OVORUM

PRÆPARATIO.

Ovorum Cortices diu ac leviter quaſſati aqua fervida abluantur, ut membranulæ omnes ſecedant: calcinentur leviſſime, & ſupra porphyritem lævigentur.

CANCRORUM FLUVIATILIUM

PRÆPARATIO.

Cancros fluviatiles, vel eorum loco Gammaros, æſtivo tempore captos uſtulabis igne mediocri, & uſque eo torrefacies, ut in pulverem redigi, & ſupra lapidem commode lævigari poſſint.

OCULORUM CANCRORUM

PRÆPARATIO.

Oculos Cancrorum in pulverem redactos mole ſupra porphyritem, Aquam roſaceam, ubi opus fuerit, inſtillando, uſque ad perfectam lævigationem: ex maſſa fiant paſtilli in umbra ſiccandi.

Eadem præparatione utere pro

Margaritis,
Matre perlarum,
Coralliis,

omnibuſque Teſtaceis ſive Oſtracodermis.

PRÆ-

PRÆPARATIONES VEGETABILIUM.

RADICUM PRÆPARATIO.

Radices plantarum nostratium idoneo tempore collectæ, ideſt primo vere, ſi fieri poteſt, evulſæ, a fibrillis inutilibus, ac lignea medulla, ubi opus fuerit, repurgatæ, ac in partes ſectæ, ad umbram potius quam ad Solem exſiccentur.

HERBARUM PRÆPARATIO.

Herbæ dum maxime vigent, ac pleræque dum in florem ſe induunt colligendæ: ſcaporum infima parte abſciſſa, foliiſque ſponte areſcentibus abjectis, loco a ventis perflato in umbra ſiccandæ.

FLORUM EXSICCATIO.

Flores ab adhærentibus petiolis & calycibus, quantum fieri poteſt, repurgati, & late ſupra tabulam extenſi celeriter ſiccentur ad Solem, vel in hypocauſto leviter calefacto: ſtatim vero ut exſiccati fuerint removendi, & in vaſe optime clauſo ſervandi.

SEMINUM PRÆPARATIO.

Vix aliam præparationem requirunt Semina, quam

ut a capſulis & vaſculis eximantur, ac ſi humidiora fuerint, leniter ſiccentur.

ESULÆ RADICUM PRÆPARATIO.

Eſulæ Radices, detracto meditullio, atque exteriori cortice, macerentur per triduum in Aceto fortiſſimo, poſtea exſiccentur.

AMMONIACI PRÆPARATIO.

Maceretur Ammoniacum in ſufficienti quantitate Aceti acerrimi, aut Vini generoſi modico calore, donec diſſolvatur: ſolutio lacteſcens coletur per linteum, deinde inſpiſſetur leniter ad melleam conſiſtentiam. Eadem ratione præparentur

Galbanum,
Sagapenum,
Opopanax,
Bdellium,

aliæ item lacrymæ & ſucci, quo Electuariis, Unguentis, & Ceratis commodius miſceri poſſint.

TEREBINTHINÆ LOTIO.

Terebinthinam Venetam coque in Aqua communi, dum ſolideſcat; poſt ablue pluries Aqua Anonidis, maſſam ducendo ac reducendo, & ſic præparatam in uſum ſerva.

SACCHARI CLARIFICATIO.

Albumina Ovorum duo totidem Aquæ communis libris affunde: agita bacillo dentato in verticem acto, donec ſpumeſcant: adde Sacchari libras quatuor; mox lebete ad ignem admoto, bulliant omnia ſimul, quoad ſpuma, colligatis Sacchari inquinamentis, liquori ſupernatet. Sublata craſſiori maſſa, quod reliquum eſt in linteum colatorium, vel manicam Hippocratis effunde: trajicietur Saccharum clarificatum, ad debitam conſiſtentiam recoquendum.

Hac ferme ratione Syrupi omnes, Succi, ac Liquores ceteri clarificentur.

MELLIS DESPUMATIO.

Mel ſupra ignem in cacabo, vel alio idoneo vaſe ad levem fervorem detine: intumeſcet paullatim, ac in ſpumam elevabitur. Tum vaſe ab igne remoto, cochleari perforato ſpumam aufer, ac Mel tepidum cola per linteum rarioris texturæ.

NUCIS MOSCHATÆ TORREFACTIO.

Nucem Moſchatam in particulas comminutam ſupra laminam igni moderato expone, & ſpathula jugiter move, dum pondere minuatur ad dimidias.

RHABARBARI TORREFACTIO.

Aſſetur Rhabarbarum ſupra laminam inſtar Nucis

Moſchatæ: torrefactio autem eo perducatur, dum colorem fuſcum acquirat.

SPONGIÆ USTULATIO.

Spongia minutim conciſa uſtuletur in furno modico calore, ut pulveriſari poſſit.

PRÆPARATIONES MINERALIUM.

TUTIÆ PRÆPARATIO.

Tutiam ſive Cadmiam factitiam igne vehementi candefactam extingue in Aqua Roſacea: ſemel atque iterum id repete; poſtea lævigа ſupra porphyritem ex lege artis.

Simili ratione præparentur

Squama Æris,
Lapis Calaminaris,
Lapis Hæmatites,
Magnes. &c.

ALABASTRI PRÆPARATIO.

Alabaſtrum, mollioreſque lapides ſimili ratione præparentur, ut Oculi Cancrorum.

CRYSTALLI MONTANÆ
Præparatio.

Cryſtallus in foco acriter incenſo candefiat, ut reſoluta, & quaſi calcinata in fruſtula diſſiliat: teratur in pulverem, ac lævigetur perfecte ſupra porphyritem, ideſt dum particula dentibus preſſa ſtridorem non pariat.

Fragmenta pretioſa,
Silices Fluviatiles,
Lapis Lazuli,

& alii lapides duriores eandem præparationem poſtulant.

LIMATURÆ MARTIS
Præparatio.

Molatur ſupra lapidem porphyritem, uſque ad perfectam lævigationem.



DE

DE SIMPLICIUM MEDICAMENTORUM SUBSTITUTIONIBUS.

Simplicibus non paucis ſubſtitutionem adhiberi neceſſe eſt; partim quod a veteribus olim uſurpata, noſtris temporibus vel dubia cenſeantur, vel penitus ignota; partim quod ab omni vitio ac ſuſpicione immunia rariſſime haberi poſſint: nec magni intereſt, ſi forte res in alterius locum ſuffecta proprio nomine in eodem compoſito iteretur.

In Medicamentis, quæ ingentem numerum virentium herbarum accipiunt, ſi una forte vel altera ex rarioribus defuerit, concedi poteſt, ut locus ille impleatur æqua portione alterius herbæ, ex reliquarum numero, quæ idem compoſitum ingrediuntur.

Subſtitutiones in Officinis noſtris plurimum uſitatæ.

Anthophyllis — *ſubſtitue* — Caryophyllos.

Aſpalatho — — — — — Lignum Aloes.

Behen albo legitimo — — Behen album vulgare.

Behen rubro legitimo *substitue*	Pastinacæ rubræ radices.
Buniadi — — — — —	Rapæ seu Napi vulgo dicti Semina.
Calamo Aromatico vero —	Acori sive Calami Aromatici vulgaris Radices.
Chalcitidi — — — — —	Vitriolum calcinatum ad albedinem.
Colophoniæ — — — —	Picem Græcam vulgarem.
Costo legitimo — — —	Costum Amarum vulgo dictum, vel Costum corticosum.
Doronico — — — — —	Galangam minorem.
Granis Kermes — — —	Coccinellam.
Maro legitimo — — —	Majoranæ Syriacæ, vel Origani Cretici summitates.
Opobalsamo, sive Balsamo de Mecha, —	Oleum Nucis Moschatæ.
Pompholygi — — — —	Tutiam.
Spodio Arabum vero — —	Spodium ex Ebore, idest Ebur ustum.
Spodio Græcorum — — —	Tutiam.
Sesamino Oleo — — —	Oleum Amygdalinum, aut Violatum ad Unguenta.
Xylobalsamo — — — —	Lignum Aloes.

NOMENCLATIONUM PLURA UNICO TITULO COMPLECTENTIUM EXPLICATIO.

Quinque Fragmenta Pretiosa.

Hyacinthi,
Rubini,
Sapphiri,
Smaragdi,
Topazii.

Quinque Herbæ Capillares.

Asplenium,
Capillus Veneris,
Lingua Cervina,
Polytrichum,
Adiantum album.

Quinque Radices Aperientes.

Apii,
Asparagi,
Fœniculi,
Petroselini,
Rusci.

Quatuor Flores Cordiales.

Borraginis,
Buglossæ,
Rosarum rubrarum,
Violarum.

Qua-

Quatuor Semina Calida Majora.

Anisi,
Carvi,
Cumini,
Fœniculi.

Quatuor Semina Calida Minora.

Ammeos,
Amomi nostratis,
Apii,
Dauci.

Quatuor Semina Frigida Majora.

Citreoli,
Cucumeris,
Cucurbitæ,
Melonum.

Quatuor Semina Frigida Minora.

Cichorii,
Endiviæ,
Lactucæ,
Portulacæ.

Quatuor Semina Emollientia.

Althææ,
Malvæ,
Psyllii,
Violarum.

Quatuor Farinæ Resolventes.

Fabæ,
Hordei,
Lupini,
Orobi.

MENSURARUM AC PONDERUM QUIBUS IN MEDICINA UTIMUR DESIGNATIO.

Granum ex medicis ponderibus minimum Hordei grano mediocri æquatur.

Scrupulus (rectius Scrupulum aut Scriptulum) viginti-quatuor Granis constat: proprio charactere notatur — — — — — — — — — — — ℈

Drachma fit ex tribus Scrupulis: ejus signum — — ʒ

Uncia ex octo Drachmis componitur: hac nota exprimitur — — — — — — — — — — — ℥

Libra duodecim Uncias continet.

Manipulus est quidquid manus apprehendit, quantum fieri potest dilatata.

Pugillus quidquid digitorum apicibus comprehendi potest.

Gutta minima est, quæ haberi potest, liquoris per intervalla stillantis portiuncula.

Cochleare Unciam fere dimidiam, vel tres Drachmas liquoris continet.

Ad pondera designanda Romanis utimur numeris: j. ij. iij. iiij. v. vj. vij. viij. viiij. x. xj. xij. xiij. xiiij. xv. xvj. xvij. xviij. xviiij. xx. &c.

Se-

Semis medietatem cujuſque ponderis ſignificat.

Ana vox a Græcis ducta ſingularum rerum prius enunciatarum æquale pondus ſumendum eſſe oſtendit.

Quæ proprio carent ſigno primis litteris compendio ſcribuntur:

Ex. gr.

gr. — — — — — — granum.
lib. — — — — — — libra.
man. — — — — — — manipulus.
pug. — — — — — — pugillus.
gutt. — — — — — — gutta.
cochl. — — — — — — cochleare.
ſſ. - — — — — — — ſemis.
a. - — — — — — — ana.
qu. ſ. — — — — — — quantum ſufficit &c.



DOSES MEDICAMENTORUM SIMPLICIUM QUÆ CONSIDERATIOREM USUM POSTULANT.

Agarici ———— *a Scrupulo i. ad Drachmam i.*
Aloes Soccotrinæ ——— *a Scrupulo i. ad Scrupulos ij.*
Ambræ Griſeæ ———— *a Grano i. ad Grana vi.*
Antimonii crudi ——— *a Scrupulo ſſ. ad Scrupulum i.*
Balſami Peruviani ——— *a Guttis iiij. ad Guttas xij.*
Balſami Copaiba ——— *a Guttis v. ad Guttas xx.*
Boracis ———— *a Granis xii. ad Scrupulos ij.*
Camphoræ ———— *a Granis iij. ad Grana xx.*
Cantharidum ———— *a Grano ſſ. ad Grana ij.*
Carthami ſeminum — *a Drachma ſſ. ad Drachmam i.*
Caſtorei ———— *a Granis v. ad Scrupulum i.*
Chalybis Limaturæ — *a Scrupulo ſſ. ad Drachmam ſſ.*
Cinnabaris nativæ ——— *a Granis iij. ad Grana xij.*
Colocynthidis ———— *a Granis v. ad Grana x.*
Croci ———— *a Granis v. ad Scrupulum i.*
Euphorbii ———— *a Granis iij. ad Grana vi.*
Fabæ S. Ignatii ——— *a Granis iij. ad Grana xij.*
Gummi Guttæ ——— *a Granis iiij. ad Grana x.*
Hellebori nigri ——— *a Scrupulo ſſ. ad Drachmam ſſ.*

Her-

Hermodactylorum —— *a Drachma ʃʃ. ad Drachmam i.*
Jalappæ ————— *a Granis vi. ad Drachmam ʃʃ.*
Ipecacuanhæ ———— *a Granis v. ad Drachmam ʃʃ.*
Mechoacannæ ——— *a Drachma ʃʃ. ad Drachmam i.*
Mercurii crudi ——— *a Scrupulo i. ad Drachmam i.*
Moſchi —————— *a Granis iij. ad Grana xx.*
Opii ———————— *a Grano i. ad Grana iij.*
Rhabarbari ———— *a Scrupulo ʃʃ. ad Drachmam i.*
Salis Ammoniaci —— *a Scrupulo ʃʃ. ad Drachmam ʃʃ.*
Scammonii ———— *a Granis iiij. ad Grana xij.*
Scillæ ——————— *a Granis vi. ad Grana xij.*
Sennæ —————— *a Scrupulo i. ad Scrupulos ij.*
Turpethi ———— *a Scrupulo ʃʃ. ad Scrupulos ij.*

Doſes in hoc Antidotario tam ſimplicibus medicamentis quam compoſitis adſcriptæ, eæ ſunt fere, quæ crebrius apud nos, ac ſine periculo uſurpari ſolent: at ſæpe caſus incidunt, quibus perito Medico ac prudenti eos quoque limites tranſcendere conceditur. Quocirca monitos volumus Pharmacopœos, ut ſi forte doſis aliqua modum excedens dubitationem afferat, nihil proprio arbitrio judicent vel faciant, ſed prius dent operam, ut Medici præſcribentis conſilium penitus habeant exploratum.

ADDENDA

PILULÆ SCILLITICÆ

PHARMACOPOEIÆ EDIMBURGENSIS.

℞. Saponis Veneti ———————— Unciam unam:
Ammoniaci purioris in pulverem redacti,
Afellorum præparatorum,
Scillæ recentis contufæ, —— ana Unciam femis:
Balfami Copaiba ———————— quod fatis fuerit.

Permiftis rite omnibus & fubactis, fiat ex arte Maffa Pilularis.

Arenulas pellunt, urinæ difficultati, aliifque renum ac veficæ morbis opitulantur.
DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam dimidiam.

PILULÆ GUMMOSÆ

PHARMACOPOEIÆ LONDINENSIS.

℞. Opopanacis ———————— Unciam unam:
Ammoniaci,
Galbani,
Sagapeni, ———————— ana Unciam femis:
Myrrhæ ———————— Drachmas duas:
Afe fœtidæ,
Caftorei, ———————— ana Drachmas tres:
Olei Succini ———————— Scrupulum unum:
La-

Lacrymis hiberno tempore in pulverem redactis, cum ſufficienti quantitate Mithridatii ſecundum artem fiat maſſa.

Ad hyſtericos affectus præcipuam commendationem obtinent.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam dimidiam.

PILULÆ DE CICUTA
STORCKII.

℞. Succi concreti Cicutæ ex arte parati — quantum placet:

Foliorum Cicutæ exſiccatorum, & ſubtiliter pulveriſatorum — quantum ſufficit,

ut Pilulæ fiant duo grana pendentes ſingulæ.

Ad tumores ſcirrhoſos, ſcrophulas, & carcinomata: ad inveteratas item viſcerum imi ventris obſtructiones.

DOSIS ab una aut paucioribus ad plures augenda per gradus, ex inſtituto ac præſcripto Auctoris.

PULVIS ATTEMPERANS
STAHLII.

℞. Oculorum Cancrorum Acidulatorum, ideſt præparatorum, & ſucco Limonis ſaturatorum, rurſuſque exſiccatorum,

Tartari Vitriolati, ——— ana Unciam ſemis:

Cin-

Cinnabaris Antimonii,
Nitri puriſſimi, ———— ana Drachmas duas.

Miſce.

Stomachi male affecti vitiis ſuccurrit.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam dimidiam.

SYRUPUS ANTIFEBRILIS
JOSEPHI MOSCA.

℞. Succi expreſſi ac depurati Scordii,
Cardui benedicti,
Centaurii minoris,
Chamæmeli,
— ana Libram unam:

Sacchari optimi ———— Libras quatuor.

Clarifica, & coque in Syrupum.

Ad expugnandas febres intermittentes.

DOSIS ab Uncia dimidia ad Unciam unam.

ELIXIR STOMACHALE TEMPERATUM.

℞. Extracti Abſinthii,
Cichorii,
Centaurii minoris,
Caſcarillæ ſubtiliter pulveriſatæ,
Salis Tartari, ———— ana Drachmam ſemis:

Corticum Aurantiorum inciſorum – Unciam ſemis:

Aquæ

Aquæ diſtillatæ Menthæ ———— Uncias ſex.

Digere per horas XII. cola cum forti expreſſione, & per infundibulum chartaceum filtra.

Recenter parato utendum; non enim diu ſervari poteſt.

DOSIS a Drachma una ad Drachmas duas.

EXTRACTUM DE CAPITIBUS PAPAVERIS.

℞. Capitum Papaveris albi cum ſeminibus modice contuſorum — Uncias ſex.

Macera per horas XXIV. decoque ad dimidias: cola, & iterum coque ad juſtam Extracti conſiſtentiam.

Somnum leniter conciliat.

DOSIS a Scrupulo uno ad Drachmam dimidiam.

COAGULUM ALUMINOSUM.

℞. Albuminis Ovorum ———— quantum placet.

Fruſtulo Aluminis modi ac figuræ convenientis agitetur in vaſe ſtanneo, donec materies coaguletur.

Ad ophthalmias a laxitate ortas efficaciſſimum.


ÆTHIOPS MINERALIS ANTIMONIATUS.

℞. Antimonii crudi,
Salis marini, ——————— ana Partes Æquales.

Fundantur ſimul in crucibulo, & liquefacta materies per horam fluat, dein frigeſcat. Rupto crucibulo, & ſcoriis abjectis, maſſa regulina ſubtiliter trita multum diuque molatur cum æqua portione Mercurii vivi, donec unum corpus fiat, ſeu pulvis atri coloris.

Ad omnes fere cutis chronicas affectiones, ſcrophulas in primis, tumores canceroſos, morboſque venereos, etiam inveteratos.

DOSIS a Granis ſex ad Scrupulum unum.



IN-

INDEX.

Asterisco * notantur ea medicamenta, quæ in omnibus Pharmacopoliis exstare debent.

B

Bu-

Cre-

He-

Pilu-

S

Sili-

Tin-

FINIS.

Vidit D. Antonius Maria Copelloti Cler. Regul. Sancti Paulli, & in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentissimo, & Reverendissimo Domino D. Cardinali Vincentio Malvetio Archiepiscopo Bononiæ, & S. R. I. Principe.

Die 2. Augusti 1770.

REIMPRIMATUR.

Fr. Carolus Mora Provicarius S. Off. Bononiæ.

Cer: alb: ℥vj

Camphor: Ras: ℥j

Spermat: Cet: albiss: ℥js

Misc: f: q: s:

℞:

Butirum Amigdalarum.

℞ Amigdal: dulc: largissim. in aq. frigid. macerat. et decorticat. lib ss bo:

Contund. optim. in Mortar. marmoreo irrigando inter contundend. cum aq: Violar. pauxillo. Tum adde Aq: Violar: q: s: ut crassescat instar Cremoris.

Coletur postea strenue, ac lento igni imponatur, saepe agitando donec ebullire incipiat. Tum adde coagulandi gratia Succi Limonum ℥j

et suspende in panno satis spisso ut separetur Butirum in panno relictum ab omni parte serosa. Condiatur cum Sacchar, et Aqua Rosarum, ad gratum gustum.

Austus Riverj Sal. Absin. ℥ij

Succi Limonum ℥ss: Misc.